This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLI DAUBUZ

PRESBYTERI & A. M.

PRO

TESTIMONIO FLAVII JOSEPHI DE JESU CHRISTO

LIBRI DUO:

Quorum priore de variâ ejus fortunâ uſuque, necnon Auctoris conſilio in eo conſcribendo pertractatur; poſteriore verò ex ſtylo ac dicendi modo & ſenſu, ejus veritas comprobatur.

1L1515

Cum Præfatione JOHANNIS ERNESTI GRABE.

LONDINI,

Typis W. B. impenſis verò R. SARE in Porticu Hoſpitii Grayenſis Auſtrali, 1706.

Digitized by Google

Digitized by Google

VENERABILI ac REVERENDO VIRO

HENRICO JAMES,

SS. Theologiæ in Academiâ Cantab.
PROFESSORI REGIO,

IBIDEMQUE

COLLEGII REGINÆ PRÆSIDENTI,

NECNON

In utrâque Eccleſiâ Metropoliticâ

PRÆBENDARIO,

Patrono ſuo plurimum colendo,

Hanc ſuam TESTIMONII FLAVIANI
Defenſionem grati animi ergô

D. D.

CAROLUS DAUBUZ.

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI
S. P. D.
Joannes Erneſtus Grabe.

JAM pridem ab *Irenæo* * bene obſervatum eſt, quòd Jeſum vivum atque præſentem omnes tàm *amici*, quàm *inimici*, ipſique Dæmones, Chriſtum atque Dei Filium confeſſi fuerint, quódque teſtimonium non modò cœlitus acceperit *a Patre*, *a Spiritu*, *& ab Angelis*, ſed & in terrâ *ab hominibus*, *& ab apoſtaticis Spiritibus*, *ab erroneis*, *& ab inimico*. Τοῦτο γὰρ τῆς ἀμηχάνου τοῦ Θεοῦ σοφίας, ὅταν καὶ τοὺς ἐχθροὺς τῆς ἀληθείας αὐτοὺς μάρτυρας ποιεῖ γινέσθαι τῆς ἀληθείας. *Eſt enim hoc omnipotentis ſapientiæ Dei opus, ut inimici veritatis fiant ipſi teſtes veritatis*, prout *Joannes Chryſoſtomus* ait Homil. 57. in Geneſin, hanc ibidem rationem inſinuans, quòd adverſariorum teſtimonia

* Lib. 4. cap. 14.

πολὺ τὸ ἀξιόπιϛον habeant. Sed neque ſine ſingulari Divini Numinis providentiâ factum videtur, ut Servatori noſtro jam defuncto atque abſenti luculentum teſtimonium perhibuerit præcipuus gentis Judaicæ, ipſi adverſæ, Scriptor, at unicus, quo ſuperſtite fruimur, Hiſtoricus, *Flavius Joſephus**. Equidem haud mirandum, eum in Archæologiâ, quâ res in populo Iſraelitico geſtas narrat, aliquam Jeſu Nazareni mentionem feciſſe, imò mirum foret, ni feciſſet; ſiquidem munere ſuo malè defunctus fuiſſet, ſi perſonam dictis factiſque tam celebrem, ac res tanti momenti prorſus ſilentio præteriiſſet: adeo ut vel exinde teſtimonii iſtius, in dubium vocati γνησιότης probari queat. Quòd verò Jeſum & eximiæ ſapientiæ, & inſignium miraculorum ab ipſo patratorum laude ornaverit, eumque ultra communem hominum ſortem evexerit, nec non ejus è morte ad vitam reditum, à diſcipulis, quibus vivus apparuit, aſſertum memoraverit, id ſane non abſque divino nutu vel inſtinctu factum puto. Decreverat nimirum Deus Pater iſtum Filio ſuo conciliare honorem, quem hic Eccleſiæ ſuæ pollicitus eſt, Apocalypſ. 3. 9. *Ecce dabo de Synagogâ Satanæ, qui dicunt ſe Judæos eſſe, & non ſunt, ſed mentiuntur; ecce faciam illos ut veniant & adorent ante pedes*

* Lib. 18. cap. 4.

tuos,

tuos, & ſcient quia ego dilexi te. Hinc paulo poſt aſcenſionem Chriſti in cœlos non ſolùm plebis Judaicæ aliquot millia, ſed & Sacerdotum plurimi fidem in Jeſum ſuſceperunt, Act. 6. 7. donec tempore aliquantum procedente, numerus credentium in multas myriadas excrevit, Act. 21. 20. licet iidem antiquæ, ac à novo Legiſlatore antiquatæ Legis adhucdum tenaces eſſent, indeque Gentilibus ad Chriſtum converſis, Moſaica autem ſtatuta negligentibus, ſeſe haud jungerent, vel alias ob cauſas integram atque publicam cum Eccleſiâ communionem detrectarent. Atqui his accenſendum puto *Joſephum*, de Jeſu Nazareno ſcilicet, nec non Joanne Baptiſtâ hujus præcurſore, ac Jacobo Apoſtolo ſectatore bene ſentientem; ſaltem non auſum, illius nomen, cujus tot egregia ac divinæ ſapientiæ plena dicta, totque miracula, divinæ virtutis ſigna, memoriæ prodita eſſent, à plurimis fide recepta, à nullo autem falſitatis convicta, cum reliqua occæcatorum Judæorum turba rejicere; præſertim cum videret, credentes in eum, ipſo defuncto, ſuperſtites ac in fide conſtantes manſiſſe, quin majori indies numero auctos, fremente licet præpotenti Judæorum ac Ethnicorum adverſariorum turba, per tot annorum ſeriem durâſſe. Hinc enim divinum id opus eſſe colligebat, *Gamalielis*, celeberrimi Legis Doctoris ratiocinium, Act. 5. 39. bene ſecutus.

Digitized by Google

cutus. Quod autem ad Chriſtianæ Eccleſiæ ſacra, aut prorſus non, aut non palam, acceſſerit, id nimio Moſaicæ Legis atque Phariſaicæ Sectæ ſtudio, vel Politicis, quas vocant, rationibus adſcribendum videtur. Extorſit tamen ei vis veritatis amplum hoc chariſſimi Servatoris noſtri elogium; quod qui adeo pertinaciter rejiciunt, nec niſi à Chriſtiano publicè profeſſo proficiſci potuiſſe contendunt, næ iſti, multùm vereor, ratiociniis ſuis inducti inficias quoque irent, ab adverſis Spiritibus Chriſto dictum : *Quid nobis & tibi, Jeſu fili Dei?* Matth. 9. 29. aut a Centurione & iis, qui cum eo erant, exclamatum : *Verè filius Dei erat iſte!* Matth. 27. 54. aut titulum cruci Domini à Pilato inſcriptum : *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*, Joan. 19. 19. Iſta, inquam, mira ſane, pari ratione negârent, aut in dubium vocarent Viri eruditi, niſi fides ſacrorum Evangeliorum auctoritati debitè habita iſtud vetaret. Unde eos probe perpendere velim, divinâ providentiâ res humanas ſæpenumero ita gubernari, ut qui cæteroqui ſunt prudentiſſimi, rebuſque ſuis optimè conſulentes, tamen quædam dicto ſcriptove proferant, aut facto exequantur, inſtitutis ſuis parum congrua, imò prorſus adverſa, ubi ad Dei gloriam hominumque commodum conducere videantur : quamvis controverſa Judaici Scriptoris pericopa nihil contineat, quod non à tali, qua-

lem

Digitized by Google

lem fuiſſe *Flavium* antea dixi, proferri potuerit.

Nec volo, nec poſſum quicquam amplius aut melius pro hoc *Joſephi* de Chriſto dicere Teſtimonio, quàm quidem dictum eſt ab eruditiſſimo Auctore Tractatus jam in lucem prodeuntis: quem cùm primùm legiſſem manuſcriptum, totus totus quidem, maximè vero pars poſterior mirificè mihi placuit, utpote quâ modò dictam periocham verbis phraſibuſque *Mathatiadæ* aut propriis, aut valde familiaribus, ejuſque more compoſitis conſtare luculenter probatum, ac hoc ipſo egregium Jeſu Chriſti elogium ita confirmatum eſt, ut jam de eo vix dubitandum, ſaltem id non tanquam manifeſtè ſpurium ſit rejiciendum; prout a doctis quibuſdam, in *Galliâ* præſertim, viris factum videmus. Unde oportunè accidit, ex eadem natione prodiiſſe quempiam, qui hunc Judaici ſcriptoris fœtum fortiùs propugnaverit, quàm quidem ab aliis oppugnatus eſt, ejuſque genuinum parentem ex nativâ ſimilitudine, adeoque firmiori, quàm hactenus allatum fuit, argumento probaverit. Quis enim ſibi perſuadere queat, duobus proximis à *Joſepho* ſeculis, quo valdè rara erat inter Chriſtianos ars Critica, quemquam illius libros adeo ſtudiosè atque accuratè perlegiſſe, ut eandem ſcribendi formam ad vivum exprimere, & ſuppoſititium fœtum *Flaviana* veſte induere potuerit? imò quemnam priſcorum Chriſtianorum diverſam

ali-

Digitized by Google

aliquantùm poſteriorum Archæologiæ Judaicæ librorum phraſin à ſtylo, quo priores exarati ſunt, ita ſolerter diſtinxiſſe putes, ut hôc evitato, illi ſe totum accommodârit? Incredibile ſanè, verbi gratiâ, ab impoſtore obſervatam ſub medium operis ſæpius occurrentem formulam, καθ' ἐκεῖνον vel τοῦτον τὸν καιρόν, propiùs autem ad finem iterum iterumque uſurpatam aliam, κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον· quò repudiatâ priori adhiberet poſteriorem, hancque de Chriſto περικοπὴν iiſdem inchoaret verbis: γίνεται κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον· & ſic in cæteris, quæ Auctor noſter pro eo, quo pollet, ingenio animadvertit. Cui major idcirco debetur laus, quòd primus internum hoc, ab ipſius Joſephi ſtylo petitum argumentum in ſe ſuſceperit, ac major ei gratia habenda, quòd non ſine magno labore idem pleniſſimè executus ſit, ſicque rem omnibus Chriſtum amantibus gratam fecerit. Licet enim ipſe *teſtimonium ab hominibus non accipiat*, Joan. 5. 34. neque illud dignitatem ejus augere queat; nobis tamen tale non poteſt non eſſe acceptum, ac robur fidei noſtræ addere. *Illa eſt enim vera & ſine contradictione probatio, quæ etiam ab adverſariis ipſis ſingula* (lege *ſigilla*) *teſtificationis præfert*, ut *Irenæus* loco antedicto ait: cujus verbis ut præfationis hujus initium, ita & finem facere placet.

Lectori

Digitized by Google

Lectori Salutem.

SI quiſquam eſt alius in quem Defenſio Teſtimonii Flaviani competat, is certè ego ſum: qui olim nimis inconſultò abreptus, ac partes accuſatorum ſecutus, iniquiſſimè de hoc Teſtimonio ſenſerim; quos necdum perſpexiſſem id magis conjecturarum acumine ac ſolertiâ, quam rationum pondere damnâſſe. At verò cum ſedula ſcriptorum Flavii Joſephi lectio, hujuſque fortunarum conſideratio mihi planiſſimè demonſtraverit, non modò potuiſſe Flavium de Jeſu noſtro Servatore benè ſentire, ſed & iſtud ipſum ſcripſiſſe, quod nunc præ manibus habemus Teſtimonium; id quod priùs damnabam ipſe, nunc pro virili defendere ſtatui, quod veriſſimum eſſe reperiiſſem.

Hinc itaque jam video, atque mirari deſino, cur ferè ſolenne ſit iis, quibus aliquid quacunque de cauſa diſplicuerit, quamque plerumque vix audeant fateri, alias plurimaſque prætexere cauſas, tametſi non multum illis aliàs ipſi fidem haberent; ſed tunc acriùs urgere, quòd ſuis conſiliis quodammodò favere videantur. Has

qui

qui rem aliter ſpectant, varias & inutiles potiùs eſſe deprehendunt, atque Cenſorum regulas non eſſe omni ex parte veras, ſed pro lubitu ac neceſſitate tantum ſuſceptas & mutabiles confitentur. Facetè igitur, neque tamen minùs verè, Vir quidam doctus, cui cum altero etiam ſatis docto non leves interceſſerant altercationes: Ego dum, *inquit*, iræ fuerant inter nos, nihil quod ille ſcriberet, rectum putabam; nunc autem ex quo redacti ſumus in gratiam, mutata ſunt etiam conſilia: nihil in ejus ſcriptis culpandum video: ipſumque agnoſco Scriptorem eſſe venuſtum & politum. *Idem quoque profecto Teſtimonio accidit Flaviano. Qui id amant, aut ſaltem non oderunt, nihil in eo vident vitioſum: qui verò ſecùs, omnia reprehendunt: & illa ipſa quæ maximis eſſent laudibus efferenda, damnant.*

Nam quale eſt illud argumentum Tanaquilli Fabri decantatiſſimum a ſtylo Teſtimonii petitum? quod cùm ipſe tam evidens eſſe crediderit, ut nulla probatione egeret, ego tamen falſiſſimum eſſe repperi, & inde pro Teſtimonio firmiſſimum comparavi. Et tamen huic adeo commentum placebat, aliiſque qui id non diligentiùs quam ipſe Faber conſideraverant, ut hoc ſolo totum Teſtimonium penitùs poſſe confici crederent. Certè huic argumento male conſultum eſt a Fabro, cùm ne minimam quidem ejus probationem addiderit ipſe, neque alii pòſt attulerint;

cui

Digitized by Google

cui probando omnes ingenii vires conferre debuiſſent. Non ſic egerunt qui olim & nunc de ſtylo cujuſquam Scriptoris judicare voluerunt. Solent ii ſaltem aliquam ſuæ opinionis rationem producere. Sic nempe Antonius Riccobonus M. T. Ciceronis Conſolationem oppugnavit; ſic defendit Car. Sigonius: & alii quoque alia. Solius eſt Tan. Fabri ac ejus ſequacium, tam inſolenter ſe efferre, & pro imperio nobiſcum agere, ac poſtulare, ut quod ipſis uſque placet, nos indictâ causâ, neque dum ſatis probatâ, ideoque ſine ratione rectum putemus.

Quamobrem licet argumentum meum à ſtylo petitum ſatis ſit validum, præſertim eo quo illud produxi modo, ad confirmandam præſtantiſſimi hujus Teſtimonii veritatem contra omnes omnium cavillationes, aliaſque magis ſubtilitate quam pondere atque auctoritate pollentes conjecturas, quæ nihili ſunt præ ipſis Joſephi verbis; cùm iſta ſint totidem monumenta ab ipſo auctore indita, prout à quovis verum eſſe reperietur, qui eo animo ut probet, atque eâ diligentiâ, quam ego adhibui, omnia Joſephi ſcripta perſcrutabitur: quoniam tamen iſte veternus adeo noſtri ſeculi hominibus inſedit, & multi quamvis ferè ignari ſcriptorum, ſtyli generiſque dicendi Joſepho proprii, tam audacter de Teſtimonio judicant, & ſimulata auctoritate pronunciant, ideò rationes eorum, ſeu potius nudas conjecturas, debileſque captiunculas, quibus hi adducuntur

ut

Digitized by Google

ut Joſephi negent eſſe hoc Teſtimonium, confutare ſtatui, omnes pedetentim ſecutus.

Hiſtoriam itaque Teſtimonii ejuſque fortunæ primùm conſcripſi eo modo, ut ſimul etiam omnia quæ in illam congruenter referri poterant objecta dimoverim. Multi enim non ſolùm quid ego ſuper hac re dicere poſſim, ſcire cupient; ſed & quid olim alii de hoc Teſtimonio ſenſerint. Quod cum pro virili, & ad faſtidium uſque fortaſſe aliorum fecerim, ſtatim quoque inde reperiſſe puto, quî factum ſit, ut cùm omnes ſcriptores conſtaret, tum græcos tum etiam Eccleſiæ latinæ Patres, in eâ fuiſſe ſententiâ, certum eſſe hoc Flavii Joſephi Teſtimonium, exorirentur tamen quidam nuperi homines, qui accuratiùs iſthæc quàm veteres illi, quanquam antiquiſſimi, tractare pertenderent. Nam cùm hæc dubia primùm ſint mota, ubi Chriſtiani recentioris ævi animos ad legendum Judæorum recentiorum libros appulerunt, deque Flavio Joſepho, ejuſque de Chriſto ſententia judicarent ex iſtorum placitis; hinc eſt, ut quod iſti Judæi improbant, illis quoque Joſephus minùs probâſſe videatur. Sed quam longè Judæi recentiores à Joſephi mente plurimis in rebus recedant, & à multis eſt aliàs oſtenſum, & à me quoque non leviter eſt penſitatum. Quapropter non quid Judæi ſentiant hodierni, ſed quid Joſephus in eâ quâ fuit conditione collocatus, ſentire debuit de Jeſu Chriſto, examinavi. Quo quidem examine contra-

rium

rium eorum quæ iſti ex Joſephi conditione eruebant, comperi: ut ſi ne quidem ſtylus tam clarè à noſtris partibus eſſet, ac nunc ſtare à me demonſtratum eſt, attamen ipſum Teſtimonium verum eſſe videretur. Atque hæc quidem primo libro ſunt contenta diſcuſſaque. Altero verò libro ipſum Teſtimonium aggreſſus, de ejus ſtylo fusè diſſero; planiſſimam cum reliquis Flavii ſcriptis comparationem inſtituo, ſenſum eruo atque explico, reliquas adverſariorum rationes primo libro prætermiſſas diluo ac confuto; exemplis controverſas Teſtimonii ſententias illuſtro atque comprobo. Sic igitur tandem, licèt hoc Teſtimonium à multis Joſepho ſit extortum quâ vi quâve injuriâ, cùm verò rei furtivæ, vel quæ vi, quanquam iſtis jure ablata videatur, non competat uſucapio; curavi ut Joſephus proprio eo tanquam auctor & pater potiretur. Hancque recuperationem hiſce duobus libris ſatis, ut puto, effectam dedi.

Deinde hiſce non inutile Auctarium præmiſi, ipſum ſcilicet Flavii Joſephi Teſtimonium de Chriſto, cum omnibus variis lectionibus atque priſcis verſionibus, quas undique corradere potui, & ad rem meam conferre poſſe cogitavi. Cæterùm ut apertè profitear per quos profecerim, & grati animi me officium expleviſſe demonſtrem, non mihi hac in parte defuit Joſephus Vaſſius Cantabrigienſis, ut eſt aliàs in his rebus diligentiſſimus, imprimis verò noſtri ſtudioſus, primuſque

muſque auctor & impulſor, ut ne Flavii Teſtimonium injuriâ contemptum deſererem. Denique quantum Johanni Erneſto Grabe Viro clariſſimo debeam, ipſe per te, Lector benevole, videre potes. Is enim, cùm ſtudia Theologica undique promovere quærat, ſuis laboribus non contentus, etiam alienis eſt adjumento, quantum poteſt. Hinc eſt quod hujus defenſionis libros non modò prælo committendos procuraverit, ſed etiam ipſe perpoliverit, & ampliſſimo, quod vides, illuſtraverit ſuffragio.

ERRATA quæ ſenſum quodammodo turbare videntur ſic corrigito; pauca alia Lector facile emendabit.

TEſtimoniorum Pag. i. lin. 11. lege Ἰουδαίους, πολλοὺς ἢ. lin. penult. leg. ὠνομασμένων. Defenſionis pag. 2. lin. 15. *unitatem* leg. *veritatem*. pag. 37. l. penult. *ſaltem* leg. *ſtabat*. pag. 45. l. 3. & 12. *juſtum* l. *Juſtum* cum *J*. cap. pag. 51. l. 12. poſt *ævi* dele *punctum*. pag. 52. l. ult. *dua* leg. *duo*. pag. 117. l. 12. leg. *Eum decet igitur*. pag. 123. l. 10. l. Hiſtoricorum. pag. 170. l. 2. leg. *illius aram*. pag. 173. l. 22. poſt *videatur* tolle *punctum*. pag. 207. l. 16. *cùm* leg. *eum*. pag. 194. l. 16. leg. *Ethnici*. pag. 200. l. 10. leg. *judicium*.

FLAVII

Digitized by Google

FLAVII JOSEPHI TESTIMONIUM DE JESU CHRISTO EX

Archæologiæ Judaicæ, Lib. xviii. Cap. iv.

ΤΊνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνὴρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή· ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητὴς, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων, καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους δὲ καὶ Ἑλληνικοὺς ἐπηγάγετο. ὁ χριστὸς οὗτος ἦν· καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν, σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος πιλάτου, οὐκ ἐπαύσαντο οἵγε πρῶτον ἀγαπήσαντες. ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτα καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων· εἰς τε νῦν τῶν χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένον οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον.

Digitized by Google

Deſcripta ſunt hæc verba ex editione Græco-Latina, edita Coloniæ Allobrogum Anno Chriſti 1634. ad Codices MSS Bibliothecæ Palatinæ emendata; quibus operæ pretium eſt ut etiam addantur variæ Lectiones e Codice MS Chartaceo, antiquo, ab Augerio Buſbequio olim Conſtantinopoli comparato, & in Bibliotheca Cæſarea repoſito: in cujus folio 254. extat hoc teſtimonium, productum a Lambecio Tomo VIII Bibliothecæ Vindobonenſis; & aliæ quædam lectiones, quas quidam Græci Scriptores exhibent, ubi citant hoc teſtimonium.

Γίνεται δὲ.] MS Cæſar. γίνεται δὴ. Eſt autem δὴ μεταβατικὸν, ut ſit verborum ſenſus, *Fuit porro circa hoc tempus*, &c. Sic Lambecius; ſed de hoc infra.

Κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον.] Euſebius in Demonſtr. Evangel. & Iſidorus Peluſ. legunt κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον. Cedrenus, κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον.

Ἰησοῦς.] Euſeb. in Hiſtoria Eccleſ. Ἰησοῦς τις.

Σοφὸς ἀνήρ.] Nicephorus Calliſtus, ἀνὴρ σοφός.

Εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή.] Niceph. λέγειν αὐτὸν χρή. ſed Cedrenus αὐτὸν ἔχρην.

Τῶν ἡδονῇ.] MS Cæſar. Euſeb. Hiſt. Eccl. Zonaras. τῶν σὺν ἡδονῇ· ſed in Euſeb. in Demon. Evang. omittuntur. Cedren. legit ἐν ἡδονῇ.

Δεχομένων. Euſeb. in Demonſtr. Evang. σεβομένων.

Ἰουδαίους.]

Ἰουδαίους.] Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Nicephor. Suidas, τῶν Ἰουδαίων. Euſeb. in Demonſtr. Evang. τοῦ ἰουδαϊκοῦ.

Καὶ ἑλληνικοὺς.] MS Cæſar. Iſidor. Peluſ. Suid. Zonar. καὶ τοῦ ἑλληνικοῦ. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. καὶ ἀπὸ τοῦ ἑλληνικοῦ. Editio Froben. & Euſeb. Dem. Evang. καὶ ἑλληνικοῦ. Niceph. καὶ ἀπὸ τοῦ ἑλληνισμοῦ. Cedrenus vero hæc & ſequentia ſic legit; ſed ut videtur, παραφράζων his verbis: πολλοὺς γὰρ καὶ ἀπὸ ἑλλήνων ἠγάγετο Χριστός, ὃν Πιλάτου σταυρώσαντος οὐκ ἐπαύσαντο κηρύσσοντες περὶ αὐτοῦ οἱ γε τὸ πρῶτον αὐτὸν ἀγαπήσαντες μαθηταί. E quibus patet, Cedrenum non ſecus atque alios legiſſe in teſtimonio hæc verba, ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν· contra quam quidam exiſtimavit.

Αὐτόν.] Euſeb. Demonſtr. Evangel. αὐτῶν ἐνδείξει.

Τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ᾽ ἡμῖν.] Euſeb. Dem. τῶν παρ᾽ ἡμῖν ἀρχόντων.

Ἐπαύσαντο.] Euſeb. Hiſt. Eccleſ. ἐξεπαύσαντο.

Οἵγε πρῶτον.] Euſeb. Hiſt. Eccleſ. & Demonſtr. Zonar. Niceph. Iſidor. οἱ τὸ πρῶτον. & MS Cæſ. cum Suida.

Ἀγαπήσαντες.] MS Cæſ. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Niceph. Suid. Cedren. legunt, αὐτὸν ἀγαπήσαντες.

Ἔχων.] Euſeb. Demonſtrat. Evangel. omittit hanc vocem.

Ταῦτα καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ.] MS Cæſ. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. & Demonſtr. Zonaras, ταῦτά τε καὶ ἄλλα, &c. Iſidor. ταῦτά γε περὶ αὐτοῦ καὶ ἄλλα. Cedrenus, ταῦτα καὶ ἄλλα μαρτυρησάντων περὶ αὐτοῦ θαυμάσια καὶ εἰρηκότων. Niceph. ταῦτα καὶ ἄλλα περὶ αὐτοῦ θαυμάσια εἰρηκότων. MS Cæſ. & Zonar. περὶ αὐτοῦ θαυμάσια.

Θαυμάσια.] Suidas, θαυμαστά. Euſeb. Dem. Evang. omittit.

Εἰς τε νῦν.] Euſeb. Dem. ὅθεν εἰς ἔτι νῦν. MS Cæſ. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Niceph. Zonar. εἰς ἔτι τε νῦν. Iſidor. ἴδε τοίνυν τῶν χρ. Suid. εἰς τε νῦν τὸ τῶν χριστιανῶν. Euſeb. Demonſtr. ἀπὸ τοῦδε τῶν χρ. οὐκ ἐπέλιπε.

Ὠνομασμένων. Euſeb. Dem. omittit. Suidas, ὠνομασμένον, ut & Hermias Sozomenus in ſua paraphraſi, quæ alias cum vulgata conſentit.

Οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον.] Iſidor. οὐκ ἐξέλιπε τὸ φῦλον. Suidas, οὐκ ἀπολέλοιπε τὸ φῦλον.

D. HIE-

Digitized by Google

D. HIERONYMI
VERSIO
Ex ejus Libro
De Scriptoribus Eccleſiaſticis.

[a] EOdem tempore fuit Jeſus [b] Vir Sapiens, ſi [c] tamen virum eum oportet dicere. Erat [d] enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt: plurimos quoque tam de Judæis quam de Gentibus ſui habuit Sectatores, & credebatur [e] eſſe Chriſtus. Cúmque invidia noſtrorum Principum, cruci eum Pilatus addixiſſet, nihilominus qui eum [f] primùm dilexerant, [g] perſeverârunt: Apparuit [h] enim eis

Variæ Lectiones e Codice MS Bibliothecæ Noribergenſis & Freculpho Epiſcopo Lexovienſi, Tom. II. Chron. Lib. II. cap. 5.

[a] Freculph. *Eo.* [b] Freculph. *Sapiens Vir.* MS Nor. omittit *Vir.* [c] Quidam Codices omittunt *tamen.* [d] Frec. *autem.* [e] MS Nor. etiam habet; ſed Frec. id omittit. [f] Frec. omittit *primùm.* [g] MS Nor. *perſeverârunt in fide*; Freculph. *perſeverârunt in eo.* [h] MS Nor. & Frec. *autem.*

Digitized by Google

eis tertia die vivens, multa [i] & hæc & alia mirabilia, carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus; & uſque hodie [k] Chriſtianorum gens ab hoc [l] ſortita vocabulum non defecit.

[i] MS Nor. & Frec. non legunt, &. [k] Frec. hoc omittit. [l] Frec. *Vocabulum ſortita.*

Excerptum vel Paraphraſis

B. AMBROSII † EPISCOPI

Quæ in ejus Tranſlatione ex JOSEPHO reperitur, ſubque ementito HEGESIPPI nomine vulgata eſt, Lib. II. Cap. 12.

QUOD fuerit illo in tempore Vir Sapiens, (de Chriſto nempe loquitur) ſi tamen oportet, inquit, virum dici, mirabilium [a] patratorem operum, qui apparuerit diſcipulis ſuis poſt triduum mortis ſuæ vivens [b] iterum ſecundum prophetarum ſcripta, [c] qui &

† Ut hos de excidio Judæorum Libros D. *Ambroſio* tribuamus, facit Codex MS. in Biblioth. Cantabrigienſi in quo ſtatim fini Libri I. ſubjecta eſt hæc Scribæ nota; *Beatiſſimi Ambroſii Epiſcopi tranſlatio ex Joſepho Liber primus explicit.* Viſum eſt idem quoque aliis. Variæ Lectiones ſunt hæ.

[a] *Creatorem.* [b] omittitur *iterum.* [c] qui hæc.

Digitized by Google

& hæc & alia innumerabilia de eo plena miraculis prophetaverunt: ex quo cœpit congregatio Chriſtianorum & in omne hominum [d] penetrare genus; nec ulla natio Romani orbis [e] remanſerit quæ cultus ejus expers relinqueretur. *Paulo poſt:* Ita mente devius fuit, ut nec ſermonibus ſuis crederet, ſed locutus eſt propter hiſtoriæ ſuæ fidem, quia fallere nefas putabat; non credidit propter duritiem cordis, &c. Plus addit teſtimonio, quod nec incredulus & invitus negavit.

[d] penetravit. [e] remanſit.

VERSIO Antiqua Archæologiæ Judaicæ

PER

M. AUR. CASSIODORUM

Senatorem V. C. procurata.

Hoc teſtimonium ſic exhibetur in duobus antiquis Bibliothecæ Cæſareæ Codicibus MSS membranaceis, inter Codices MSos Theologicos Latinos 497° & inter Hiſtoricos primo.

[a]FUIT autem hiſdem temporibus Jeſus, Sapiens Vir, [b] ſi tamen Virum eum nominare fas eſt. Erat enim mirabilium operum [c] effector, & doctor [d] omnium eorum hominum

---

Variæ lectiones ex antiquiſſima Editione, quæ cum annum non exhibeat, typorum tamen inventionem propemodum æquare videtur, ac Vincentio Bellovacenſi, Lib. 7. pag. 229. u & Codice MS antiquiſſimo Iſaaci Voſſii, ante VIII ſæcula exarato.

[a] Vincent. Bellov. *Fuit his temporibus.* [b] V. B. *ſi eum virum nominare.* ſed Cod. MS Voſſ. hæc omittit, & mox legit, *Hic erat mirabilium operum effector.* Quin etiam innuit Voſſius ſic alia quoquæ, quæ conſuluit exemplaria exhibere. [c] V. B. *patrator.* [d] Ed. Ant. omittit, *omnium*, & V. B. hoc & ſequens, *hominum.* Edit. Ant. legit, *hominum eorum qui libenter quæ vera ſunt, audiunt.*

Digitized by Google

num qui audiunt libenter quæ vera ſunt, [e] & multos quidem Judæorum, multos etiam ex Gentibus ſibi adjunxit. [f] Chriſtus hic erat. Hunc accuſatione primorum noſtræ gentis [g] virorum, cum Pilatus in [h] crucem agendum decreviſſet, non deſeruerunt [i] hi, qui ab initio eum [k] dilexerant. Apparuit enim eis [l] tertia die iterum vivus, ſecundum [m] quod divinitus inſpirati prophetæ, vel hæc vel alia de eo innumera miracula [n] futura eſſe predixerant. Sed & in hodiernum Chriſtianorum, qui ab ipſo nuncupati ſunt, & nomen perſeverat & genus.

Utcunque verſio iſta non ſit Ruffini, certum tamen eſt, iſtum interpretem Ruffini verſionem hic conſuluiſſe & deſcripſiſſe. Ita enim conſentiunt ut nihil ſuprà. Quapropter Codicibus Cæſaris potius quam Voſſii & antiquæ editioni quoad omiſſiones ſtandum eſſe videtur; præſertim cùm nullus codex Græcus his faveat. Addo & aliud argumentum. Vetus interpres Caſſiodori amicus habuit proculdubio Sozomeni Hiſtoriam; at vero Sozomenus hæc omnia legit, ſuntque

[e] V. B. multoſque ſibi Judæorum, & multos adjunxit ex Gentilibus. [f] Omnes ſic legunt præter editionem antiquam, quæ prorſus omittit hæc verba: *Chriſtus hic erat.* [g] V.B. omittit, *virorum.* [h] V. B. *cruce erigendum decreviſſet.* Ed. Ant. *crucem agendum eſſe decreviſſet.* [i] V. B. *eum hi.* [k] Edit. Ant. *dilexerunt.* [l] Ed. Ant. *tertio.* V. B. *iterum tertia die.* Petrus Comeſtor. Hiſt. Evang. legit, *apparuit enim his iterum vivus.* [m] Ed. Ant. *qua.* ſed V. B. omittit, *divinitùs.* [n] V.B. *de ipſo futura prædixerant. Sed & uſque in hod. diem Chr. qui ab eo dicti ſunt, perſeverat & nomen & genus.*

que ex eo in Hiſt. Tripartitam tranſlata. Vidit itaque interpres iſte hæc verba, non modo in græcis Joſephi Codicibus, ſed & in illis Sozomeni, haud ſecus ac in Ruffini verſione, quam deſcripſit. Adjiciam itaque, ut hoc pateat, non ſolùm Ruffini verſionem & Sozomeni excerptum, ſed & ipſam excerpti verſionem per Epiphanium concinnatam.

VERSIO

Ruffini Aquileiensis

Ex ejus Verſione Euſebii Hiſtoriæ Eccleſ. per Beatum Rhenanum edita, deſumpta.

FUIT autem iiſdem temporibus Jeſus Sapiens Vir, ſi tamen Virum eum nominare fas eſt. Erat enim mirabilium operum effector, doctorque hominum eorum qui libenter quæ vera ſunt audiunt. Et multos quidem Judæorum, multos etiam ex Gentilibus ſibi adjunxit. Chriſtus hic erat. Hunc accuſatione primorum noſtræ gentis virorum, cum Pilatus in crucem agendum eſſe decreviſſet, non deſeruerunt hi, qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim eis tertio die iterum

Digitized by Google

rum vivus, ſecundum quod divinitùs inſpirati prophetæ, vel hæc vel alia de eo innumera miracula futura eſſe prædixerant. Sed & in hodienum diem Chriſtianorum, qui ab ipſo nuncupati ſunt, & nomen perſeverat & genus.

Excerptum vel Paraphraſis

HERMIÆ SOZOMENI

Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. I. Cap. 1.

ΚΑΊ ἰώσηππος δὲ ὁ ματθίου ὁ ἱερεὺς, ἀνὴρ παρά τε ἰουδαίοις καὶ ῥωμαίοις ἐπιδοξότατος γενόμενος, ἀξιόχρεως ἂν εἴη μάρτυς τῆς περὶ θεοῦ ἀληθείας· ἄνδρα μὲν γὰρ αὐτὸν ἀποκαλεῖν ὀκνεῖ, ὡς παραδόξων ἔργων ποιητὴν, καὶ διδάσκαλον λόγων ἀληθῶν. χριστὸν δὲ περιφανῶς ὀνομάζει, καὶ τῷ σταυρῷ καταδικασθῆναι, καὶ τριταῖον ζῶντα φανῆναι. καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ προειρῆσθαι τοῖς θείοις προφήταις οὐκ ἀγνοεῖ. πολλοὺς δὲ ὄντας οὓς ἐπηγάγετο ἕλληνάς τε καὶ ἰουδαίους ἐπιμεῖναι ἀγαπῶντας αὐτὸν μαρτυρεῖ, καὶ τὸ ἀπ' αὐτοῦ ὠνομασμένον μὴ ἐπιλεῖψαι φῦλον.

VERSIO

Digitized by Google

VERSIO hujus Excerpti PER EPIPHANIUM SCHOLASTICUM EX Hiſtoria Tripartita.

JOſephus autem Matathiæ filius atque Sacerdos, vir apud Judæos nobiliſſimus, nec non & apud Romanos, digniſſimus erit teſtis de veritate Chriſti. Vocare namque eum virum non audet, tanquam factorem inſignium operum, magiſtrumque ſermonum veracium: Chriſtum vero aperte nominat, & pœnæ crucis adjudicatum, & tertia die apparuiſſe vivum, & alia infinita miracula de eo a prophetis ſanctis non ignorat eſſe prædicta. Sed etiam multos tunc extitiſſe, quos elegit græcos atque judæos, & in ejus permanere dilectione, atque gentem ab eo nominatam nequaquam defuiſſe teſtatur.

Excerptum

Digitized by Google

Excerptum
MICHAELIS GLYCÆ
Annalium, Par. III. pag. 234.

TOTE δὴ, τότε φίλων ὁ σοφὸς καὶ Ἰώσηππος ἤκμαζον· οὗτος δὴ φιλαλήθης ἐλέγετο, διά γε τὸ τὸν βαπτιστὴν τοῦ Κυρίου ἐπαινεῖν, καὶ διὰ τὸ τὸν Χριστὸν ὁμοίως ἄνδρα σοφὸν μαρτυρεῖν, καὶ μεγάλων σημείων ἐργάτην, σταυρωθέντα δὲ ζῶντα φανῆναι μετὰ τρίτην ἡμέραν.

ELOGIUM
ABRAH. WHELOCI.

TOllatur e medio potiùs, atque penitus è mundo, Flavius Joſephus, quam ut illam à Chriſtiana Eccleſia gemmam, illam intelligo περιοχὴν, tolli patiamur.

EX

EX

ISAACI VOSSII

Lib. de Sibyllin. Oracul. Cap. xi.

PRofectò nullos religio Chriſtiana infenſiores habet hoſtes, quam ipſos Chriſtianos; cùm vix ullum apud antiquos de Chriſto aut vaticinium, aut teſtimonium invenias, quod non complures etiam doctiſſimi viri labefactare, aut etiam penitus evertere fuerint conati.

PRO

PRO TESTIMONIO FLAVII JOSEPHI DE JESU CHRISTO

LIBER PRIMUS.

SÆPE ſum miratus, cum animo verſarer, quî factum ut quædam ſcripta, quæ a Viris afflatu divino aliquando, ſæpiúſque fortaſſe, inſpiratis, Apoſtolorumque nomine claris ſunt confecta, in Eccleſia tamen velut ipſa divinitùs inſpirata nunquam reciperentur: cum alia quædam ſcripta, de quibus eorumque auctoribus, & olim & nunc eſt dubitatum, in fidei tamen regulam ſint recepta, & quaſi ex hoſtibus recuperata. Hinc videre licet, etiam optimorum auctorum libros ſua quoque non ſecus ac profanorum habere fata. Qui hoc

dubium

dubium etiam ante nos moverunt, ut hinc ſe expediant, ad genuinam ſolent confugere difficultatem ſolvendi tollendive rationem. Prima ex recepta in Eccleſia Chriſtiana conſuetudine ducitur; tantum ſcilicet in ſtabilienda divinorum ſcriptorum auctoritate Eccleſiæ conſenſum ac teſtimonium valere, ut ſine illis ne quidem optima recipi, ut inde fidem noſtram poſſimus ſtatuminare, mereantur. Altera ratio eſt eorum qui, interna quoque, & ex ipſis eruta ſcriptis argumenta accerſunt, qualia ſunt vel dicendi genus, vel rerum ſcriptarum pondus cum divino lumine & majeſtate conjunctum, quibus probi homines, quique unitatem amant & appetunt, ad illa pro divinis admittenda moveantur.

Tametſi teſtimonium Flavianum neque fuerit, neque ſit unquam inter divina ſcripta referendum, cùm tamen in illo conſcribendo, aliquid, non humano conſilio, ſed prope divinitus datum eſſe videatur, non ſecus ac in ejus conſervatione; cumque invitis quamplurimorum doctorum conatibus, longè tamen a pluribus defendatur, utque genuinum habeatur: ad ejus defenſionem quam in me jam ſuſcepi, maxime pertinere videtur, ſi quemadmodum illi, qui ſcripta divina genuina eſſe probant, has rationes ſequuntur; ſic etiam ego eundem rationum ordinem conſequar in iſto Flavii Joſephi teſtimonio recuperando. Neque mihi quiſquam

Digitized by Google

quiſquam poſthâc dicam ſcribat, quòd libros Joſephi cum Sacris Scripturis hac ratione quodammodo contulerim. Nam ſiquis recte perpendat, quantum interſit fidei Chriſtianæ, ut eventus vaticiniorum Jeſu Chriſti adverſus Judæos probè intelligatur; nullus dubito, quin ſtatim mecum ſentiat, quandoquidem nemo meliùs calamitates cladeſque Judæorum exponat quam Joſephus, a quo ceu fonte, quicquid eſt ſcriptorum inter Chriſtianos qui de his verba faciunt, ſua omnia mutuò accepiſſe conſtat, quapropter non ſine divino conſilio, quod nos partim providentiam divinam, partim vero afflatum, vocare ſolemus, cautum eſſe videtur, ut Joſephi ſcripta non tantum ederentur, ſed & accuratè per omnia Eccleſiæ ſæcula conſervarentur, ut quædam minora fidei, veritatiſque monumenta.

At vero cum Flavii hujus teſtimonium dè Chriſto, quod inter cætera ejus ſcripta quadantenùs eminet, ideoque a multis, neque immeritò ut egregia quædam gemma ſpectatur; utque fieri ſolet, cum diverſa plerumque ſint hominum ſtudia; ſic altera parte non deſint qui id non minus vili pendant, eorum rationes cum mihi diſpliceant, ſtatui mecum, hoc pro fide Chriſtianâ non leve argumentum ſtabilire, & ab injuriis adverſariorum tutari, idque eo modo ac ratione, quibus ſolent ſacros defendere codices. Hac itaque oratione

quicquid ad Eccleſiæ doctorumve conſenſum, variamque hujus teſtimonii fortunam ſpectare videtur, ediſſeram ; & de uſu teſtimonii defenſioniſque neceſſitate, ac in quanta, ſi verum, apud nos auctoritate ſit habendum, denique, de Auctoris fortuna conſilioque dicam ; altera vero, ex ipſo dicendi genere, totius orationis tenore, modoque conſcribendi, & ſententia, adeo Joſephi eſſe proprium oſtendam ; ut ne quidem ad quenquam alium pertinere poſſit.

PARS

Digitized by Google

PARS PRIMA, LIBRI I.

De varia Teſtimonii FLAVIANI fortuna.

1. PRimum quod eſt mihi pertractandum, eſt, Eccleſiæ doctorumve conſenſus, in teſtimonio Flaviano tum citando, tum etiam comprobando. Atque hic univerſo conſenſu, ex quo primùm uſu venit aut neceſſitate, ut citari cœperit, ſemper & agnitum & lectum eſt hoc teſtimonium: neceſſitas enim hujus uſum introduxit, ut fruſtrà ſint qui expectaverint citari teſtimonium eo tempore, quo vel nulla erat ejus neceſſitas, neque tum ſatis ſcriptorum Joſephi uſus apud poſteros ei ſcriptori auctoritatem conciliaverat. Ut ut vero hæc ſunt, non ſolum apud graviſſimos auctores, per omnia ferè ſæcula, ſed & in omnibus tum græcis tum latinè verſis codicibus, conſtantiſſimè perlegitur, atteſtantibus quoque ipſis adverſariis.

Digitized by Google

2. Euſebius Pamphili, Cæſarienſis, primus eſt, quantum ſcimus, qui citaverit; in cujus ſcriptis non ſemel hoc teſtimonium legitur. Eum autem ducentis non ampliùs, poſt ætatem Joſephi annis floruiſſe certum eſt, eoque tempore vixiſſe, quo paſſim in Bibliothecis occurrebant ſcripta Joſephi. Jam tum enim Chriſtiani, non ampliùs Cæſarum furorem pertimeſcentes, ſumma Conſtantini gratia, per orbem invitis æmulis, dominabantur, & Epiſcopi, rerum potiti, ſtudia ſua cum fructu exequi poterant. Ideoque ipſis ad omnes Bibliothecas erat acceſſus. Duobus hic locis teſtimonium citavit: Demonſtrationis Evangelicæ Libro tertio, capite quinto; deinde Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro primo, capite decimo: ubi ſanè hoc teſtimonium ſic producitur, ut non longè a vulgata Codicum Archæologiæ lectione receſſiſſe videatur: Adeoque audacter proferuntur utrobique verba teſtimonii, ut omnino Euſebium bona fide egiſſe compareat; adeo, ut illum vel dolo, vel negligentia, aliquid immutâſſe ne nos quidem cogitare patiatur: tantum abeſt, ut aliquid fraudis ſubeſſe ſit ſuſpicandum.

3. Verumtamen adverſus hoc Euſebii, viri graviſſimi teſtimonium inſurgunt multi, ut eum minùs fidelem in citandis teſtimoniis, vel minùs cautum in exhibendis probent. Sed & exortus eſt aliquis, qui aſſerat, hanc eſſe ipſius

Digitized by Google

ſius Euſebii impoſturam. Quo quidem judicio ego nihil audacius, ne quid dicam de temeritate, unquam vidi. Tria igitur, ut memini, Euſebio ſuper hac re objiciuntur. Primum eſt, Euſebium, ut cæteros quoque Patres, bene factum exiſtimâſſe, ſi adjutum irent cœleſtem figmentis ſuis veritatem. Sed ego nullam iniquiorem iſtâc unquam vidi ſuſpicionem. Fuerunt hoc ſæculo & ſuperiore homines, qui cùm ſe horum Patrum auctoritate premi in quibuſdam viderent, ut hic ſe illico expedirent, omnibus ingenii viribus ſunt conati, Patrum iſtorum auctoritatem levare. Licet autem multa primis iſtis ſæculis ſint conficta Evangelia, Actus Apoſtolici, Apocalypſes, & ſimilia; auſim tamen dicere, neminem in Eccleſia Catholica Patrem vel Epiſcopum fuiſſe, qui his opem tulerit vel fingendo, vel diu etiam comprobando. Omnia iſta erant ab hæreticis obtruſa, utpote quorum fæces atque pravitatem ſententiaſque redolerent. Quo factum eſt, ut jam ſæpius ab Eccleſiæ Catholicæ Patribus rejecta, fere penitùs exoluerint. Non mea eſt hæc ſed perantiqua querela, & obſervatio, eo tempore facta, quo has fraudes D. Blondellus valuiſſe potiſſimum profitetur. Qui hac de fraude queritur eſt Hegeſippus, cujus verba excerpſit Euſebius, quaſi ad ſuam olim prævidiſſet defenſionem profutura: καὶ περὶ τῶν λεγομένων δὲ ἀποκρύφων διαλαμβάνων,

βλῳ τοῦ αὐτοῦ χρόνων πρὸς τινῶν αἱρετικῶν ἀναπεπλάσθαι τινα τούτων ἱστορεῖ. Non decet itaque fraudes hæreticas patribus iſtis objicere, quaſi religionem Chriſtianam mendaciis ſtabilire voluiſſent. Falli potuiſſe Patres facile concedimus; ſed fallere quenquam voluiſſe religionis ergô, id fortiter pernegamus. Cauſam Sibyllinorum aliorumque monumentorum, quæ damnavit Blondellus, hîc agere non decrevimus, neque Hermetis Triſmegiſti ſcriptorum; quamvis quædam partes eorum ante natum Chriſtum pervulgatæ fuiſſe videntur, ut etiam ſatis eſſent aptæ ad juvandum religionis cauſam, cum oſtendant de Meſſia illo plurimorum expectationem, & de religionis Chriſtianæ veritate ſententiam; antequam Meſſias ille hujus religionis auctor naſceretur.

4. Alterum illud crimen quod Euſebio objiciunt, inde natum eſt, quod quibuſdam parùm fidus in citandis auctoribus, ipſoque nominatim Joſepho, cujus res hîc preſertim agitur, eſſe videatur. Hoc ut probent, aliquot, duos ſcilicet aut tres, ex illo producunt locos, ubi non ſatis bene capit mentem Joſephi; qualis eſt ille, ubi de vocibus in Templo auditis ante urbis excidium, Joſephus loquitur; quod cùm Euſebius, & poſt eum Hieronymus minùs caute dicant poſt Jeſu Chriſti paſſionem accidiſſe, (licet hoc etiam ſit verum,)

quidam

quidam tamen nimis urgent, & inclementer interpretantur Euſebii verba, quaſi ille dixiſſet : has voces in Templo fuiſſe auditas die ipſo Pentecoſtes, proximè paſſionem ſequenti. Nam Euſebio ſufficit, ſi hæc paucis poſt Chriſti mortem annis acciderint, ut oſtendat quod erat ipſi comprobandum, Templi nempe Judæorum vaſtationem, Jeſu Chriſti neci fuiſſe ſubſecutam. Alios quoque locos profert Tanaq. Faber, de Therapeutis Philonis, & de Carnificina puerorum Bethlemi, & denique de cenſu ſub Cyrenio, in quibus Euſebius non ſatis recte verba Joſephi capit. Sed quid hoc quæſo ad rem veſtram ? Si ea verba quæ citat Euſebius in Joſephi ſcriptis non extarent, veſtra hæc oratio aliquid haberet ponderis : ſed cum hoc ſolum crimen Euſebii fuerit ; quod iſta verba non ſint ejus ad quam illa produxerat probatio ; ſi quid commiſit, peccavit errando, humanum eſt. An ergo ea omnia quæ ille citavit perverſe, dum ſenſum eorum male intelligeret pro ſpuriis ſunt habenda ? Quid hoc eſt argumenti ? In his hærere quemquam pudet ſane pigetque. Certe Dallæus, quem teſtimonio Flaviano non valde amicum fuiſſe conſtat, in alia controverſia, Ignatiana ſcilicet, ut auctoritatem Euſebii qua ſe premi ſentiebat elevaret, noluit hoc uti argumento ; *& ad alia ejuſdem ſcriptoris loca excurrere & exempla aliorum σφαλμάτων conquirere, in quæ*

ille fatentibus eruditis incidit *. Nunquam quidem hoc facturus, ſi quidquam ad cauſam ſuam pollere credidiſſet. Aliud enim eſt ſenſum auctoris male capere, aliud verba ſupponere, quæ ille nunquam locutus eſt aut ſcripſit.

5. Ad tertium illud crimen jam venio, Euſebium hanc periocham in ſcripta Joſephi intruſiſſe; quod ſi verum non fuerit, malitiam quandam ſumma cum temeritate in accuſatore prodet. Quo crimine ut Euſebium alliget T. Faber accuſator, tantum abeſt ut aliquod judicium habuerit, ut ne quidem leviſſima Euſebium accuſandi ſuſpicio vel ratio ſubſit, neque ipſe quicquam protulit accuſator: Sed cum ſtultus & temerarius ſit Euſebius, teſte Fabro, in citandis quibuſdam teſtimoniis, ideo ſibi videri hunc eſſe hujus fraudis auctorem. Mirari ſubſit mihi perpendenti quale demum ſit eorum judicium, qui de fraudis hujus auctore pronunciant, antequàm ullam fraudem ineſſe conſtet. Siccine quenquam eſſe adeo præcipitis judicii, ut de rei qualitate loquatur, priuſquam de rei exiſtentia certam habeat cognitionem? ſiccine jura ſinunt ut reus quis agatur antequam crimen ullum commiſſum eſſe cognoſcatur? licet enim Tan. Faber de hac re ita ſit locutus, ut neminem amplius dubitare ſinat,

* Lib. II. Cap. 35.

Digitized by Google

ſinat, adeo firmis rem iſtam ſe credidit fuiſſe rationibus conſecutum: at vero nondum ſatis rem in plano conſtituit, ut non multi graviſſimi Viri etiam poſt illum ſcriberent, atque fraudem ineſſe huic teſtimonio pernegarent.

6. Ego vero, uti ſpero, eam orationem de periocha iſta ſum habiturus, quæ inviti conſenſum accuſatoris extorqueat; licet autem in altera parte de fraudis hujus auctore falsò ſuſpecto verba ſim facturus, attamen quia neceſſe eſt ut Euſebio, quem primum eſſe qui citaverit videmus, ſua conſtet auctoritas, quædam in anteceſſum de hoc crimine dicam. Quapropter verbis Henrici Valeſii Tanaq. Fabrum percontabor; *Cui bono id Euſebius confingere voluiſſet? An ex teſtimonio Joſephi pendebat divinitas Chriſti? Annon Euſebii ætate libri Antiquitatum Joſephi in omnibus Bibliothecis viſebantur; quibus prolatis facillimum fuiſſet Euſebii fraudem convincere* †? Quaſi non fuerint tunc temporis multi Gentiles, apud quos etiam extarent Joſephi ſcripta. In conſcribenda Hiſtoria ſua uſus eſt Euſebius Libris ex Hieroſolymitana Bibliotheca, ut ipſe fatetur, deſumptis. Vides igitur quot & quantas regiones peragraverit iſte Codex Archæologiæ Joſephi, antequam in illa Bibliothecâ Româ delatus deponeretur? idcirco frequentia

† Not. ad Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. H. Ecc. Lib. VI. cap. 21.

Digitized by Google

ſta hujus fuiſſe exemplaria verum eſt. Hunc itaque ſcriptorem, Romæ ſtatuam ob ingenii gloriam meritum, cujus libri in Bibliotheca publica repoſiti ſunt, ab ipſo Imperatore Tito ſubſcripti, ne fraus ſubeſſet, quiſquam auſus eſſet interpolare? denique ut nullus ſit dubitandi locus, infra probabimus habuiſſe alios alibi ſcriptores Joſephi hiſtoriarum codices, in quibus hoc extaret teſtimonium, quod etiam alterius accuſatoris, Blondelli, conjecturam, ſæculo nempe Chriſtianiſmi ſecundo hanc fraudem, quam inter pias numerat, fuiſſe confictam, penitus deſtruit.

7. Sed quid verbis opus eſt? laterem fortaſſe lavo, dum ſtudeo Euſebii crimina falſò objecta diluere: nam licet inculpabilis eſſet, *ejus tamen teſtimonium, utpote hominis ducentis annis* Joſepho *recentioris, nullam vim habere*, erunt fortaſſe, qui Dallæ iexemplo prætendent. Nemo enim adhuc hoc objecit, contentus Euſebii auctoritatem deſtruxiſſe reliquis argumentis, quæ Dallæus ſequi noluit in controverſia Ignatiana. Nequis itaque dilutis criminibus, auctoritatem Euſebii in poſterum cupiat convellere, iſto quem propoſuit modo Dallæus; erit operæ pretium, ut hac quoque parte eum reſtituam in quem meretur locum. Quid ergo ſpectatis o boni! ut vobis producam auctores Euſebio antiquiores, cum nulla his eſſet neceſſitas ad Joſephum provocandi? ne-

Digitized by Google

mo ante Euſebium negabat extitiſſe Chriſtum, cujus adhuc tum erat recens memoria, ſupererantque tum nativitatis, tum paſſionis ejus publica monumenta, ad quæ tum provocare & poterant, & ſolebant, Chriſtiani Patres, ubi primum de ejus exiſtentia dubitari cœptum eſt, ibi ſufficit, ut producat Euſebius, quæ hoc dubium ab hominum mentibus auferre poſſent. Sed id genus argumenti, quo negant, quemquam poſt cujuſquam ſcriptoris mortem de ejus ſcriptis liquidò teſtari poſſe, quale demum vocabimus? An ergo non vera ſunt quæ protulit Euſebius auctorum loca, licet nemo præter eum horum meminerit? cum cætera omnia ſibi invicem ſatis accuratè reſpondeant; veritas rei ſcriptæ, Codicum fides locique citati; quid jam quæſo objicimus, nullam eſſe auctoritatem citantis ſi modo annis pòſt ducentis vixerit? Non enim quæritur an Euſebius viderit Joſephum ſcribentem; tum enim nihil eſſet hujus teſtimonium longe poſt alterum nati; qua ſola ſuppoſitione nititur objectio; ſed id quæritur: utrum Euſebius hoc teſtimonium in Archæologiæ quos tum vidit codicibus, legerit? Quæ cum ita ſint, an ergo non ſufficit Euſebii auctoritas, ut probet, hoc teſtimonium in ſui ævi codicibus lectum fuiſſe? nihil amplius opto. Hoc ſi concedant, aliunde veritatem teſtimonii probabo, ut ipſi adverſarii id tandem aliquando

verum

verum eſſe fateantur. Hactenus quidem de Euſebii auctoritate, quæ hoc teſtimonium firmat, ſatis eſt hoc loco dictum, quæ mea quidem ſententia ſatis ad firmandam hujus periochæ auctoritatem valeret.

8. Huic tempore proximus eſt D. Hieronymus, qui laudat teſtimonium Flavianum. Quæ duo autem in hoc negotio plurimum pollent, vir erat doctiſſimus, cenſor accutus, & fere inculpabilis, quodque magis pro nobis facit, Judæorum Magiſtris addictior quam par eſt. Attamen in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, cùm poſuiſſet Joſephum, ejus etiam teſtimonium de Chriſto exhibet ſine ùlla ſuſpicionis notâ: quod utique nunquam feciſſet, niſi vel genuinum eſſe crediſſet, vel etiam in ſuis codicibus legiſſet. Græcos Archæologiæ Judaicæ codices habuiſſe conſtat, & ex A. Caſſiodori libro de divinis lectionibus diſcimus; tradit enim, Hieronymum de vertendis illis in linguam latinam cogitâſſe, ſed operis magnitudine deterritum, mutaviſſe ſententiam. Ergo cum nondum verſa eſſent Joſephi ſcripta, ipſe ſuam hujus periochæ verſionem dare coactus eſt. Poſtea quam enim multa honorifice de Flavio Joſepho ediſſeruiſſet, noſque quædam quæ aliàs neſciremus docuiſſet, his periocham iſtam ſubjungit.

9. Hunc itaque tam preclare de iſtac periocha teſtantem ut nobis ſurripiant, eodem quo Euſebium

Digitized by Google

Euſebium crimine onerant, primò quidem, quod iſte falſò alibi citet Joſephum, cum non ſatis rectè mentem ejus capiat. Deinde huic quoque vitio vertitur, quod incautè Euſebium errantem plerumque ſequatur. De primo crimine ſatis dixi pro Euſebio, quæ hunc quoque tegant. Quod ad alterum illud attinet, quod aiunt Hieronymum, cum Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum conficeret, exſcripſiſſe Euſebii collectanea, ideoque Euſebio erroris comitem ſe dediſſe; nunquam quidem injuſtius vidi crimen cuiquam objici, cum cuivis legenti, vel iſtum de Joſepho articulum, planum ſit, immane quantum differre codices Archæologiæ Euſebianos ab illis Hieronymi, ut ſatis ex hujus verſione patebit. In illa enim duo ſunt, quæ nullo modo nos dubitare de codicum varietate patiantur. Nam ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν ab Hieronymo vertitur, *& credebatur eſſe Chriſtus*; deinde vero ἐνδείξει huic latine ſonat, *invidia*. Facile erat emendare & mutare vocem iſtam in hanc ſcilicet, *indicio*; ſed cum codices omnes manu exarati, & qui deſcripſit hoc teſtimonium ex Hieronymo Freculphus, ſic conſtanter legant, neutiquam ſinunt ut ad mutandam antiquam lectionem ſola ſuſpicione moveamur.

10. Ruffinus Aquileienſis Presbyter, æqualis Hieronymo, in eorum numero eſt ponendus, qui hoc teſtimonium ſuis ſuffragiis comprobârunt;

runt; hic enim Eccleſiaſticam Euſebii hiſtoriam verſionis libertate quaſi fecit ſuam. Pluris autem facio hujus, & Hieronymi auctoritatem quam alii; eam enim certiorem faciunt ortæ inter illos iræ atque ſimultates. Quod ſi quid alteruter horum in his rebus innovaſſet, paratum habebat æmulum, qui hanc audaciam ſatis acriter reprehenderet. Ergo ſapienter & modeſtè uterque progreditur, dum alterius reprehenſionem veretur.

11. Verum enim neſcio, annon ſupra Hieronymo, & Ruffino, præmittere debuiſſem, quem Hegeſippum vulgo vocant, ſed Ambroſium rectiùs nuncupares. Huic enim potiùs, quam illi, malunt Docti Viri libros de Excidio Judæorum tribuere, aiuntque, verſos ex Joſepho, vel ſaltem conſarcinatos fuiſſe, cujus nomen ſub ficto Hegeſippi latitare ſuſpicantur, vel ab ignaris quibuſdam corruptum eſſe librariis. Etenim hujus rei fidem faciunt codices manu exarati, qualis eſt ille Cantabrigienſis, cui ad finem Libri primi hæc ſcribæ notula eſt adjecta, *Beatiſſimi Ambroſii tranſlatio ex Joſepho. Liber primus explicit.* Utique vero non eſt abſimile, Ambroſium juvenem in hac ſe palæſtra animi gratia exercuiſſe. Iſte vero Ambroſius non ſolùm totam hujus teſtimonii ſententiam proponit, eamque ſuo modo circumſcribit & interpolat, ſed

etiam

etiam oſtendit, quam probabile ſit, Joſephum hæc dixiſſe, adeo, ut quaſi primus hujus teſtimonii defenſor haberi mereatur. *Ita*, inquit, *mente devius fuit; ut nec ſermonibus ſuis crederet, ſed locutus eſt propter hiſtoriæ ſuæ fidem, quia fallere nefas putabat, non credit id propter duritiem cordis, &c. plus addit teſtimonio quod nec incredulus & invitus negavit.* Habemus igitur hic codices Mediolanenſes, ut & ſupra Orientales Æliæ, Aquileienſes Ruffini, præter illos quos apud ſe habuit Hieronymus: qui omnes ducentis aut aliquot amplius annis poſt ætatem Joſephi, in ejus Archæologia judaica hoc teſtimonium exhiberent, ſine ulla impoſturæ ſuſpicione. Quorum auctoritas annon ſit omnibus novorum hominum conjecturis & nudis fere judiciis anteferenda, judicent, qui in his rebus aliquid ſapiunt præter vulgi modum. De aliis etiam alibi per Orbem ſparſis codicibus jam videbimus.

12. Iſidorus Peluſiota, Johannis illius Chryſoſtomi diſcipulus, hoc etiam utitur teſtimonio; cujus auctoritas ideo magis eſt ſpectanda, quod quidam mirentur, Johannem illum, in illis quos contra judæos libris ſcripſit, ſive potius habuit pro concione orationibus, tametſi laudet & in medium proferat ex Joſepho teſtimonia, non tamen uſum eſſe hac periochâ. Hinc factum eſt, ut qui omnia quantum poſ-

ſunt

ſunt & quaſi mordicùs arripiunt, ut huic teſtimonio malefaciant, fere concludant, doctum iſtum & pium Χρυσοῤῥήμονα de hujus fide vel auctoritate dubitâſſe. Sed omne dubium tollit hic Iſidorus ejus diſcipulus; qui nunquam uſurpâſſet, ſi magiſtro ſenſiſſet hanc diſplicere. Is autem Epiſtolarum Libro quarto N. 225. quamvis agnoſcat Joſephum fuiſſe ſummum legis judaicæ Zelotam, ex ipſo tamen hoc producit teſtimonium, & producendo comprobat.

13. Hos excipit Hermias Sozomenus, qui in Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Libr. I. capite primo, hujus periochæ illam dedit paraphraſin, quæ maxime ſuſpectas hujus periochæ ſententias comprobat. Sed obſtat magis, ut quidam volunt, quam proficit hujus auctoritas: nam cum voluerit ex hac periocha concludere Chriſtum eſſe Deum, neſcio quo pacto id quod defendere debuiſſet, prodidit; Joſephi enim auctoritatem in hoc negotio nimis urgens, nullam fecit. Sed dandum eſt hoc Sozomeno, aliiſque Patribus, qui controverſiâ cum Arianis concitati, & nimio calore diſputantes, id credunt ſe videre quod non vident. Sic, quia Joſephus κατὰ σχῆμα, vel oratorio dicendi genere uſus, de Chriſto loquens, ut eum laudibus efferat, quaſi propter excellentiam vir non eſſet, iſti protinus, quod parce tamen erat datum, nec aliter quam aliis quoque ſoleat

leat Joſephus attribuere, volunt ſibi quâdam largitiâ datum: quæ tamen, ubi quis diligentiùs animum àdvertit, multùm eos non juvat.

14. His quoque addendus eſt M. Aur. Caſſiodorus Senator, qui primus latinè vertendam curavit Archæologiam Judaicam, quod ipſe amicorum operâ factum eſſe memorat. Horum itaque Interpretatio locum hunc latinè verſum repræſentat; & eo quidem modo, ut quo nos hoc teſtimonium, ſic illos quoque oſtendat in ſuis legiſſe; adeo ut horum etiam tempore, ſine ulla ſuſpicionis notâ legeretur. Quibus etiam jungendus eſt ille Epiphanius hujuſce Caſſiodori amicus, quique hoc jubente Tripartitam Hiſtoriam conſarcinaverit ex Socrate, Sozomeno & Theodorito. Qui cùm in Sozomeni Hiſtoriâ hanc periochам citari vidiſſet, ſine cenſurâ totum hoc in ſuam farraginem tranſtulit, ſicque majorem huic teſtimonio conciliavit auctoritatem; cujus opus ipſe Caſſiodorus, ut è præfatione conſtat, probavit.

15. His ſuppar eſt Johannes Antiochenus Malala, qui hoc etiam teſtimonium laudat; nec tamen eo quo Sozomenus modo tractat, ſed pro more ſuo ſatis inconcinnè, Libro Chronographiæ ſuæ X. pag. 319. at vero cùm, nec hujus nec aliorum ætate minorum, magna ſit apud doctos hujus ævi auctoritas, ideò

Digitized by Google

contenti erimus eorum nomina proferre qui vel hoc teſtimonium laudant, vel etiam ſimul ipſis verbis exhibent, ad renatas uſque literas, hoc eſt fere ad inventionem typorum in libris edendis uſurpatorum. Primus horum eſto Nicephorus Caliſtus: qui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Lib. I. Cap. 39. totum exhibet. Huic fere proximus eſt Cedrenus Compendii Hiſtorici, Tom. I. pag. 196. Deinde Zonaras; niſi & hic ſit cæteris anteponendus, non enim admodum ſedulò temporum rationem in his non valdè neceſſariis perſequor; is autem Zonaras Annalium Lib. I. Cap. 4. Tom. I. edit. ultimæ pag. 267. hoc teſtimonium deſcripſit; & Michael Glycas Annal. Parte III. pag. 234; qui ad hoc videtur alluſiſſe. Hiſce omnibus addendus Suidas; quanquam is Sophronium, Hieronymi interpretem, per omnia ſecutus eſſe videatur.

16. Tranſeo jam ad alteram quaſi partem, ut eos ex latinis ſcriptoribus enumerem qui hoc teſtimonium comprobant, quorum tamen, utpote recentiorum, auctoritate non multùm hujus teſtimonii fides & veritas adjuvatur, niſi quod oſtendant conſtantem doctorum de hoc teſtimonio ſententiam. Horum igitur antiquiſſimus eſt, ut puto, Freculphus Epiſcopus Lexovienſis, qui Tom. II. Chronic. Libr. II. capite quinto ex Hieronymo hoc teſtimonium videtur eſſe mutuatus. Hunc

ſequatur

Digitized by Google

ſequatur Johannes Sareſberienſis qui claruit ſub Friderico Imperatore primo, quique hæc verba citat Lib. II. Cap. 9. Polycratici ſeu de Nugis Cur. ab initio teſtimonii ad hæc verba, *Chriſtus hic erat*: ex quo ſatis patet eum vidiſſe antiquam verſionem. Hunc excipit Vincentius Bellovacenſis circa A. C. MCCCXV. qui libro ſeptimo pag. 229. in medium id protulit ex eadem verſione; & Petrus Comeſtor in Hiſtoriâ Evangelicâ capite XXIX. ex eadem quoque verſione, ut videtur; & Baptiſta Platina in Libro de Vitis Pontificum.

17. Ad annum itaque Chriſti CIↃIↃ intemerata hujus teſtimonii fides manſit & auctoritas, multiſque etiam pòſt annis, donec tandem exorti ſunt Hubertus Giſanius Juris C. & Lucas Oſiander Theologus, M. Lutheri partibus addictus, qui primi, quantum reſcire potui, de hoc auſi ſunt dubitare. Sed datâ tum portâ, quod iſti leviſſimâ conjecturâ negaverant, alii non modò negare, ſed & argumentis pro captu ſuo validiſſimis confirmare non ſunt veriti. Poſteaquam autem poſteriorum ſæculorum, hoc eſt decimi ſexti & ſequentis a Chriſto nato, hujus teſtimonii aſſertores ac defenſores enarravero, de illis quoque loquar qui Giſanium ac Lucam Oſiandrum ſecuti, non obiter modò ſed & datâ quaſi operâ, vel partim etiam libris integris hujus teſtimonii fidem elevare ſunt conati;

quibus nominatim quantum poſſum prolatis, eorum quoque rationes generatim ac leviter, tametſi fideliter in medio proponam; his vero excutiendis non ſolùm hujus quod reliquum erit, ſed alterius quoque tractationem ſermonis reſervo.

18. Cum in eo jam verſer ut primò tantum proponam, eos qui hoc & ſuperiore ſæculo, vel non multò antè, hoc Joſephi teſtimonium vel probaverunt vel etiam defenderunt, eos cæteris præponam qui id tantùm nudè proferunt, ſed eo modo ut id etiam comprobare videantur. Nec tamen omnes hîc advocare poſſum, ſed præcipuos, eoſque quorum notitia ad me pervenerit: quibus non ſolùm temporis ratione, ſed & nobilitatis prærogativâ præpono Johannem Picum Comitem Mirandulanum, nec minùs etiam doctrina clarum. Conſulatur ejus Epiſtola ad amicum ignotum, quæ ſic incipit, *Quiſquis es*, &c. *In Joſepho Græco ſcio*, inquit, *eſſe quædam, quæ de Chriſto & fidem & honorificam faciant mentionem.* Petrus Galatinus ex Judæo factus Chriſtianus Libro primo de Arcanis Catholicæ veritatis, capite quarto, quo de Judæorum ſcriptoribus, quos paulò pòſt Chriſtum paſſum eſſe contigit, & quid de ipſo ſenſerit peroravit. Iſte vero non modò hoc teſtimonium profert, ſed & oſtendit quales ſint illi Judæi qui de Chriſto noſtro prout Joſephus ſentiunt, de quibus in hoc

Digitized by Google

hoc ſermone infra dicemus: quæ quidem viri docti verba ſi accuratè adverſarii noſtri penſitâſſent, nunquam tam acerbè pro hujus teſtimonii ſuppoſitione contendiſſent. Centuriatores Magdeburgenſes hunc etiam locum laudant, utque verum citant Lib. I. Centur. I. Cap. 10. Sebaſtianus Munſterus in notis ad Libr. V. Cap. 44. Gorionidis, teſtimonium Flavii vocat, *magnificum præconium.* Sic quoque Sixtus Senenſis Tom. II. Libr. IV. Bibliothecæ ſanctæ de Joſepho loquens, inquit *eum fuiſſe Chriſtianorum amicum, quanquam Judæus eſſet, Dominumque Jeſum inſigni elogio celebrâſſe.* Hunc ordine ſequitur Cæſar Baronius, Cardinalis Annalium Eccleſiaſt. Tom. I. ad Annum Chriſti XXXIV. hæc Joſephi verba referens, ſimul etiam ſe credere profitetur, *hunc non niſi Dei virtute compulſum atque coactum fuiſſe* ut hæc ſcriberet. Quum autem, ut ſuſpicor, videret quoſdam hoc teſtimonium rejeciſſe, id ſibi negotii dedit ut aliquatenùs vindicaret. Quamobrem ad A. C. XCVI. Sermonem de hoc Flavio repetens de illo ſic diſſerit, ut etiam contra Oſiandrum defendere videatur. Ne quid hic dicam de Johanne Gabriele Biſciola, vel de Joh. Spondano, qui cùm hujus Annales ad Epitomen redactos ediderint, nemo non videt illos ad hanc claſſem eſſe referendos. Antonium quoque Poſſevinum ea de cauſa Bibliothecæ ſuæ Lib. XVI.

Cap. XIV. Baronium ſecutum prætermitto. Vincentius Lupanus in notis ſuis ad Librum quintum Hiſtoriarum Taciti hunc locum tum legiſſe oſtendit, tum etiam comprobâſſe. Similiter Franciſcus Feuardentius, in notis ad Irenæi Librum IV. Cap. XIV. ubi cùm aſſerat Irenæus, oportere veritatem accipere teſtimonium ab ipſis extraneis, hoc ipſe inter alia refert Joſephi teſtimonium tanquam ab extraneo.

19. Pluris fieri, & quidem jure, ſolet judicium eorum, qui de rebus controverſis agunt, circa res ipſas de quibus eſt orta controverſià, quam eorum qui res tantum obiter pertractare videntur. Quamobrem Iſaacum Caſaubon. in Excercitat. XI. ad Annales Baronii Ann. XXI. N. II. cum Baronio diſputantem credere licet nuſquam prætermiſſurum fuiſſe occaſionem reprehendendi Annaliſtam in hoc negotio, niſi hoc eſſe verum teſtimonium judicâſſet. Sed neque tacuiſſet, credo, Joſephus Scaliger, cui Flavius Joſephus admodum placebat, (ſi de hac ſuppoſitione quidquam ei ſuboluiſſet.) Tantum autem abeſt ut Caſaubonus ſic ſentiret, ut contrà potius teſtimonii veritatem vindicet; annorum rationem in Flavio Joſepho de Chriſto teſtimonium edente, quam nullam eſſe Baronius culpaverat defendit; aſſeritque facere hoc ſæpiſſimè principes Hiſtoricos, Thucydidem, Polybium, Livium,

in

in iis præſertim quibus nolunt immorari; ſed & in partibus legitimæ hiſtoriæ idem jus perſæpe uſurpare, neque tamen propterea quemquam illos redarguere. Quam ſane Viri docti rationem ſi perpendiſſent qui Giſanium Oſiandrumque ſequuntur Cenſores, non tam inſolenter ſe efferrent, cùm tam acerbè noſtræ periochæ cum cæteris connexionem urgeant.

20. Gulielmus Schickardus vir in Judæorum ſcriptis exercitatiſſimus, quales hâc de cauſâ neſcio quomodo magis pronos ad omnia nuperorum Judæorum placita recipienda eſſe compertum eſt; quorum Judæorum porrò non intereſt, ut hoc Joſephi teſtimonium admittatur: iſte inquam Schickardus nihil minùs quam Judæorum ſtat ſententiæ. Nam in proœmio ad Tarich, hoc teſtimonium produxit, ejuſque fidem ex ipſis Judæorum ſcriptis firmare conatur. In quo licet non ſatis cautè progrediatur; cùm quem ipſi Joſephum admittant neſcire videatur; ipſum tamen non movebat illa cenſorum ratio, quæ facit ut non credant Judæum ſacerdotem tam honorificè de Jeſu noſtro ſentire potuiſſe. In hac quoque claſſe collocandus eſt Georgius Calixtus in diſputationibus de veritate unica Religionis Chriſtianæ, Them. XXVIII. & Conradus Horneius diſputationum Theologicarum, Part I. Diſp. I. Sect. I. Theſ. XLVIII. qui Joſephum

aſſerit non alia dixiſſe quam quæ Judæi in ſuo Talmude fateantur; necnon Gregorius Gregorii Francus in Lexico ſancto Num. LXXVIII. qui rectiùs quam illi etiam quos jam ſuprà memoravi, ſuper hac re ſentiens, noſtri Flavii aſſerit majorem eſſe quam vel Gorionidis Rabbinici, vel etiam Talmudis auctoritatem. Quinetiam huc referendus eſt Theodorus Hackſpan in Aſſertione Paſſionis Dominicæ, adverſus Judæos & Turcas; Judæum enim introducit confitentem, ſe ſi neget Jeſum noſtrum in crucem fuiſſe actum ex ipſo Flavio ſuo falſi fore arguendum. Ad eaſdem quoque partes vocandus eſt Paganus Gaudentius, qui de progreſſu Philoſophiæ apud Romanos Cap. LXXVII. perorans, adverſus Salianum & Auguſtin. Maſcardum defendit Joſephum, ejuſque teſtimonium ut verum vindicat. *An cœperunt*, inquit, *videre Salmeron, Salianus, Maſcardus, quod cernere non potuerunt tot Sapientiſſimi viri.* Cui comitem ſe dedit Georgius Hornius Hiſtoriæ Philoſophicæ Libro quinto capite ſecundo, ubi ſaniores Judæos in magna æſtimatione Chriſtum aſſerit habuiſſe, quod ex Joſephi Eulogio, ut ipſe dicit, inſigni conſtat. Nec aliter Joh. Conrad. Daunhawerus Act. I. Dramat. Sacri Theatr. I. Phænomen. II. qui id egregium vocat elogium. Has quoque partes ſequitur Joh. Micrælius qui Libr. IV. Judæ,

Dialogo

Digitized by Google

Dialogo ſecundo, hoc teſtimonium adverſus Judæos citat & defendit, necnon Jacobus Uſſerius Armachanus Tom. II. Annal. Ætat. Mund. VII. ubi lectionem quam exhibet Hieronymus lectioni vulgatæ & Euſebianæ præfert. Cum Micrælio conſentit Antonius Hulſius Libr. I. Part I. de Adventu Meſſiæ, Sign. VIII. & pariter defendit. Medius quaſi inter hos & cenſores teſtimonii incedit Johannes Hoornbeck Lib. III. contra Judæos Cap. V. ſed eâ tamen ratione ut lubens tanquam verum admitteret, niſi certioribus argumentis uti maluiſſet. At verò Jacobus Alting Lib. IV. de Schilo, capit. 29. id non conceſſit, ſed adverſus Judæos tanquam veriſſimum, & Evangelio conſentiens urget.

21. Quid plura? vereor ne mea nimis excreſcat oratio, ſi longior fuerim in recenſendis pro teſtimonio ſententiis, Johannis Tobiæ Majoris in Act. Apoſt. Cap. ii. 22. Johan. Gerh. Voſſii de Hiſtoricis Græcis Lib. II. Cap. 8. Johan. Cocceji, Virdungi, Hadriani Junii, Uchtmanni, Cæleſtini Capucini Sacræ Hiſtoriæ Lib. IV. Art. 5. fol. 400. Martini Alphonſi Vivaldi in gloſſis ad Petri della Cavalleria zelum Chriſti contra Judæos, &c. Num. 1014. Joſephi Voyſin in Diſput. Theolog. Orthod. de ſanctiſſima Trinitate adv. diſceptationem Hæretici Antitrinitarii, D. de Juignè in Dictionario Hiſtorico voce *Joſeph*, Auctoris

Auctoris Ephemeridum Gallicarum ad Ann. CIϽIϽCLXVII. menſemque Januarium, ſeverini Waltheri Sluteri in Propylæo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; quorum plerique non citant modò, ſed defendunt. Difficile enim admodum videtur homini Chriſtiano ampliſſimum hoc teſtimonium ab ipſis Chriſtianis leviſſimâ de cauſâ rejectum videre, neque ſimul indignantem defendere conari. Quapropter ne mirum ſit quamplurimos ex his quos nudè teſtimonium citâſſe dixi, unâ quoque operâ propugnare, licet admodum leviter hoc ſit factum.

22. Ad alterum jam ordinem pervenimus eorum, qui hoc teſtimonium non ſolum comprobant ſed & partim obiter, partim data opera, juſtos ad ejus defenſionem ediderunt libellos. Inter quos primum ponimus Sebaſtianum Lepuſculum, cui nomen Huberti Giſanii J. C. debemus, quemq; primum accepimus de hoc teſtimonio ſuſpicatum fuiſſe, quo vero ſcripto vel an ore tenus hoc acceperit Lepuſculus, nondum mihi conſtat. Hujus itaq; ſententiam evertere conatur Lepuſculus in Epiſtolâ ad M. Severinum Ertzbergium Scripta Baſileæ A. C. CIϽIϽLIX. die xxiv. Febr. quæ inter Epiſtolas Philologicas Goldaſti Num. LXI. habetur. Hunc ſequi videtur Robertus Bellarminus Cardinalis, qui in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, poſteaquam memorâſſet

Joſephum

Joſephum Hebræum, cujus mirabile quod reddit de Chriſto teſtimonium non laudat modo, ſed & adverſus Hebræos defendit; nullos enim nôſſe Chriſtianos videtur Bellarminus, qui de hoc teſtimonio dubitare fuiſſent auſi; firmiſſimum ex Euſebii & Hieronymi auctoritate profert indicium, atque veritatis argumentum. *Certè*, inquit, *D. Hieronymus & Euſebius, viri doctiſſimi fuerunt, & omnes penè veterum ſcriptorum libros pellegerunt: Et nunquam hoc teſtimonium de Chriſto, Joſepho tribuiſſent, niſi ſciviſſent, verè ab illo auctore ita ſcriptum fuiſſe.* Hucuſque Bellarminus. Aubertus Miræus a Photio memorari ſcribit, quod an verum ſcit infra videbimus, ſic tamen iſte quoque defendit. Michael Waltherus in præfatione Commentar. in Epiſt. ad Hebr. Num. IV. teſtimonium iſtud, quod planè inſigne, auro contrà carius judicio ſuo exiſtimabat, defendit, & D. Joh. Mullerus Part. I. Judaiſmi Libr. I. Cap. 29. Num. VIII. lingua Teutonica editi in eâdem Palæſtrâ ſe exercuit. Atque hi quidem obiter.

23. Nunc de aliis quoque, quorum plerique fere juſtos ſuper hac re tractatus edidêre, videamus. Atque hîc primos eos nominabimus quorum Philologicas Epiſtolas ſimul congeſſit Chriſtophorus Arnoldus, ediditque A. C. CIↃIↃCLXI. Noribergæ, cum

Digitized by Google

reſponſionibus adverſariorum. Primus autem in hac congerie eſt Chriſtophorus Adamus Rupertus quem ad ſcribendum movit Johannis Cloppenburgii cum Ludovico Capello altercatio. Triplici hic ſuam firmat obſervatione ſententiam. Aſſerit enim primò è crititicorum regulâ nihil eſſe corrigendum, expungendum, infarciendum; niſi vel Manuſcripti codices veteres, bonique fidique addixerint, vel conjecturæ claræ, liquidæ, certæ ſint. Secundò, non omnes Judæos fuiſſe cæcos & hoſtes nominis Chriſtiani. Non videri alienum ab inſtituto Joſephi, qui ſe aliàs ſatis æquum Jacobo fratri Domini præbuit, hoc de Chriſto teſtari, præſertim cum multi fuerint in aulâ Domitiani Chriſti ſequaces. Tertiò, inconcuſſam eſſe Euſebii & Hieronymi auctoritatem. Deinde periocham connexione omninò carere negat, & Photii ſilentium nihil eſſe contendit, quæ duo Sebaldus Snellius moverat.

24. Proximus inter iſtos, qui pro teſtimonio ſteterunt, eſt Thomas Reineſius, quem doctiſſimum Germanorum ſui temporis fuiſſe, ſunt qui dicere non verentur. Hic autem licet obiter tantum id tangat, attamen Joſepho non ita defuit, quin ipſum prout in teſtimonio habetur ſenſiſſe credat & comprobet. Quin etiam Abrahamus Whelocus in Epiſtola ſua vehemens eſt in defendendâ periochâ, vult enim

ut

ut *tollatur e medio potiùs atque penitùs è mundo Flavius Joſephus, quàm ut illam à Chriſtianâ Eccleſiâ gemmam, illam intelligit periocham tolli patiamur.* Nec minus fortiter Thomas Lanſius, qui *ſemper*, ut ipſe profitetur, *in eâ ſtetit ſententiâ firmus, Joſephum ſingulari divini numinis impulſu de Jeſu Chriſto veritatem ſcripſiſſe.* Hos excipit, alieno tamen nòmine non ſuo, Johannes Chriſtophorus Wagenſeil, is regulam a Ruperto poſitam ex amici ſententiâ tuetur; deinde fatetur, licet primo aſpectu verba majus quid præ ſe ferre videantur, quam ut a Judæo ſint prolata, accuratiùs tamen conſiderantibus talem ſenſum admittere, quaſi non ex ſui animi, ſed aſſeclarum Chriſti ſententiâ loquatur: Denique ipſum dicendi genus Joſephi phraſin quam maximè redolere, & verbum ἐπιτηδεύω hoc ſenſu Joſepho paſſim uſurpari. Hæc inquam ille ex amici ſententiâ; nam ipſe tum temporis dubius erat mentis. Nomen amici non comparet, quod quidem male factum, cum rem acu prope attigiſſe videatur. Ultimus verò in Arnoldi collectione eſt Thomas Bangius qui cenſet elogium illud, ut varietati judiciorum expoſitum, ita dignum ut ejus ſinceritas tutiùs inveſtigata defendatur contra hodiernos Judæos, qui cum nequeant totum Joſephum Chriſtianis eripere, nobile hoc tantum membrum de Chriſto invident. Atque hactenus

ex

Digitized by Google

ex Arnoldi collectaneis; ad reliquos feſtinemus.

24. Poſteaquam David Blondellus & Tanaq. Faber, quorum ille doctrina & auctoritate, multum hic ingenii vi & acumine valebant, hujus teſtimonii ſuppoſitionem pro viribus aſſerere fuiſſent conati, quaſi irritâſſent crabrones, ingens virorum doctorum numerus in eos inſurrexit, ut ipſos hoc pro religione Chriſtiana præſidium eripere vetarent: neque minùs quam duodecim notitiam ad me pervenire contigit. Primus fuit Gulielmus Spencerus S. T. P. qui per commentarios omne genus eruditionis refertos in Origenis Libros contra Celſum à ſe editos ſatis orbi literario innotuit, is autem in ſuis annotationibus verba Origenis, quibus maximè præter ſtilum moveri Faber videtur, nihil tamen contra hoc teſtimonium facere oſtendit, cum eorum ſenſum non bene intellexiſſet Faber, non enim ea mens fuit Origeni, ut vellet Joſephum contra Chriſtum ſcripſiſſe, quæ vana eſt Fabri ſuſpicio; ſed non credidiſſe in Chriſtum tanquam Judæorum Meſſiam. Porrò ejus teſtimonium eſſe ita intelligendum, prout nonnulli Jeſum pro Chriſto & Meſſia haberi voluerunt. Hæc ille; noluit enim ut mihi videtur ultra Origenem ſuum latiùs pervagari.

25. Eodem

Digitized by Google

25. Eodem tempore, hunc enim pede preſſo ſequitur Henricus Valeſius, qui cùm videret hujus ſuppoſitionis crimen in Euſebium, quem tum edebat in lucem, a Tan. Fabro impingi; utrumque & Euſebium & Teſtimonium Flavianum conatus eſt defendere. Tollit itaque in notis ſuis objectionem ex Juſtini Martyris ſilentio, Origenis verba explicat, teſtimonii mentem aperit, Euſebii crimen ut falſum diluit. In eodem campo ſe Franciſcus Regius Juris Conſ. Andegavenſis exercuit, & diſſertatione peculiari hoc argumentum ventilavit. Fertur etiam id feciſſe Sutlandus Anglus, & Boſius Germanus, cum de edendis Joſephi operibus meditaretur: nec non Fridericus Spanhemius in Epitome Iſagogica ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Novi Teſtamenti; Natalis quoque Alexander in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Veteris Teſtamenti Tom. VI. diſſ. X. Tanaquilli Fabri diſſertationem adhuc quaſi novam Iſaacus Voſſius in Chronologiâ Sacrâ, ſcripto de LXXII. Interpretibus ſubjectâ, pedetentim ſequitur confutatque. Dixit etiam aliquid de hoc teſtimonio in Libro de Sibyllinis Oraculis, nullibi tamen reſpondet objectioni a ſtylo petitæ: ut mihi quidem adhuc integra ſervata eſſe videatur. Confutationem Fabri ulteriùs proſecutus eſt Vir doctiſſimus Daniel Huetius, Epiſcopus Sueſſionum deſignatus, in magno

opere

opere de Demonſtratione Evangelicâ, Propoſitione III. Num. II. ubi nullum non movit lapidem ut hoc teſtimonium vindicaret. Huetii inſtitutum etiam perſequitur Samuel Parkerus, Epiſcopus Oxonienſis, ſed Anglico ſermone, in Demonſtratione Religionis Chriſtianæ, & adverſus Fabrum ingenioſè teſtimonium defendit. Hunc excipit Tillemontius in Hiſtoriâ Imperatorum ad ſæculum ſextum, ejuſque rationes urget, & P. Pagi in diſſertationibus ad Annales Baronii, qui cum agmen horum omnium qui teſtimonium defendunt, claudat, ſtat Huetii rationibus & Lambecii, de quo jam ſum aliquid dicturus. Iſte enim Tomo octavo Catalogi Bibliothecæ Cæſareæ pagina 4. & ſequentibus; longam inſtituit diſſertationem de hoc teſtimonio, in qua ut illud defendat longè aliam à cæteris omnibus inſiſtit viam: omnia enim hujus teſtimonii verba in pejorem partem explicat: ut quibuſdam ſatius videatur, vel plane rejicere, vel ſaltem interpolatum agnoſcere quam defendere modo Lambeciano. Hoc autem fecerat Lambecius, ne Joſephus nimis Chriſtianè loqui videretur. Sed vanus eſt hujus metus; nihil enim eſt in hac periochâ quod dici a Joſepho, in eo quo fuit ſtatu, haud potuerit. Atque hactenùs iſta ſatis de fautoribus Flaviani teſtimonii dicta ſunto.

26. Quo-

Digitized by Google

26. Quoniam vero quidam ſunt qui velut medii inter eos qui hoc teſtimonium prout nunc legitur in Archæologia Judaica recipiunt, illoſque qui prorſus averſantur damnantque ut ſuppoſitum, incedunt; ideò placuit medios iſtos hîc reponere. Sunt autem illi qui hoc de Chriſto teſtimonium ſcripſiſſe Joſephum volunt, ſed eſſe tamen quædam, quæ nunc in hoc leguntur, interpolata. Primus eorum, ut dignitate ſic etiam ætate præcipuus, eſt Richardus Montacutius olim Epiſcopus Norwicenſis, qui in notis ad Euſebii Demonſtrationem Evangelicam Lib. III. de verbis ὁ Χριςὸς ἦτος ἦν, *proculdubio*, inquit, *gloſſema eſt & marginalis cujuſdam Chriſtiani lectoris annotatio, licet habeatur in ſcripto còdice, & in Joſepho.* Huic ſuccinit, ſed ultrà tantiſper progreditur Johannes Henricus Urſinus, ut totam periocham non inſertam, ſed alicubi interpolatam potiùs divinaret. Videri planè Joſephum de Jeſu Nazareno honeſtam aliquam feciſſe mentionem; non tamen ejuſmodi, qualis hodie legatur. Non probare ſe Fabri inſtitutum, ſed exiſtimare aliquid veri, ut ab Hiſtorico, & in laudem Jeſu fuiſſe ſcriptum. Poſſem hîc de Johanne Henrico Boœclero dicere aliquid, cum ſit in ea ſententia ut dubitet quidem, ſed non planè rejiciat. Inter hos quoque cenſendus Joh. Hiſpanicus, in Libro, quem Gallicè editum ipſe vocavit

Shibboleth. Denique multa quidem præclara de Joſepho, & hoc præcipuè teſtimonio expectari potuiſſent a Stephano Le Moyne, qui per viginti annos Joſephi editionem fertur eſſe meditatus. Sed cum is ſummum obierit diem antequam voti fuiſſet compos, ſtandum eſt illis quæ in notis ad Hippolyti Librum dixit, ubi ſe Montacutii quam protuli ſententiam ſequi profitetur. Idem quoque de Thoma Ittigio dicendum videtur, qui quædam verba, & nominatim illa, ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν, cenſet eſſe interpolata. Is autem eſt qui ad nuperam Joſephi editionem prolegomena concinnavit; niſi in alia claſſe ſit ponendus.

27. Jam verò illos, qui adverſæ Teſtimonii fortunæ auctores perhibentur eſſe, videamus. De quibus, ut ordine progrediatur oratio, dicendum nunc eſt. Quod ut fiat perſpicuè, illi in tria genera ſunt diſtribuendi. Primum genus eſt eorum qui ſilentio ipſo, hoc teſtimonium damnaviſſe feruntur: alterum genus eſt Judæorum, quorum intereſt ſcilicet ne Teſtimonium iſtud admittatur ut verum: tertium denique genus eſt eorum inter Chriſtianos, qui primò quidem palàm & apertè de Teſtimonio dubitare, poſteà verò adverſùs etiam ſuſtinent ſcribere. De illis itaque primo loco dicam, quorum ſilentium ab iſtoc tertio genere trahitur, ut falſum & ſuppoſititium eſſe hoc teſtimonium combrobent.

28. De

28. De Juſtino Martyre primo loco dicendum eſt. Nam cum iſte de hoc Teſtimonio tacuerit, in eo Dialogo quem cum Tryphone Judæo habuit, licet, ut iſti volunt, magni fuiſſet momenti hoc Teſtimonium in ea Controverſia produci; hinc concludit Faber Juſtini tempore Teſtimonium, quod jam legimus non fuiſſe in Archæologia ſcriptum, ſed aliud plane contrarium, nequaquam Chriſto honorificum. Huic verò ſilentio ſic reſpondeo: nihil certi generatim ex ſilentio poſſe comprobari, præſertim cum Juſtini Opera omnia quæ ſcripſit non habeamus: & licet neque hic neque alii, de quibus poſtea, hujus loci meminiſſent, certi tamen nihil inde poſſet elici. Deinde nihil ponderis habere potuit hoc Teſtimonium adverſus Tryphonem. Aliud longè erat Juſtini inſtitutum, qui non ex Auctoribus profanis, ſed ex ipſis Prophetarum Libris Chriſtianam Fidem & Divinitatem Jeſu Chriſti voluit adſtruere. Ad hanc rem nihil adjumenti Teſtimonium Flavianum conferre potuiſſet. Denique nimis recens erat Scriptor Flavius Joſephus, nec minus à Chriſti morte quam Juſtini ætate remotus, quo fortaſſe nato nondum exceſſerat è vita Joſephus, eratque præterea Judæis etiamnum fortaſſè inviſus nimiùm, multiſque nominibus, ut apud Judæum aliquid auctoritatis haberet. Saltem, fuiſſe quendam Jeſum a quibuſdam ut Prophetam

agnitum, & poſtea per primores Populi cru- ciſixum, & quem jam multi ut Chriſtum re- ciperent. Non negabat Tryphon, ea quæ in Teſtimonio continentur, quo minus neceſſe fuit id producere Juſtino, ſed divinos Jeſu Chriſto honores eſſe tribuendos: circa hoc enim Juſtini præcipuè verſatur oratio.

29. De T. Flavio Clemente Alexandrino proxima lis eſto. Is autem licet in Libro pri- mo Stromatum profiteatur ſe conſuluiſſe Joſe- phum; nuſquam tamen hoc citavit ex eo Te- ſtimonium. Sed neque alias eum citavit, ubi tamen ſæpius optima ſe offerebat occaſio. Vel itaque non habuit Clemens hujus Libros vel ſaltem non tanti duxit, ut ſæpiùs laudare fu- erit neceſſe, in re preſertim ubi Joſephus Cle- mentem non multum adjuvare potuiſſet. Nemo tum negabat Chriſtum extitiſſe; & fortaſſe produxit in illis qui deperditi ſunt Libris. Sed neque eos, qui adhuc ſuperſunt, integros habemus.

30. Tertullianum, ſicubi pro ſe facere vi- detur, allegat Faber; ubi ſecus, vel negligit, vel etiam planè deſerit. Sane ubi Tertullia- nus citavit Joſephum, ibi aliquid poterat, ejus auctoritas, cum ſcilicet in Apologetico defen- dit Judæos ex Joſepho, quod cultus eorum re- ligioſus irrideretur. In aliis, ut negotio de Chriſto, ampliora habuit teſtimonia Tertul- lianus. Ad ipſos Imperatorum Senatuſque

Com-

Commentarios publicos provocat. Sed ridet eumFaber & jactat quod nimium avidè credulus fuerit Tertullianus: Jure ne an injuria, non eſt hujus loci diſputare. Sed hoc affirmo; licet Tertullianus hujus loci meminiſſet, ei tamen non haberet fidem Faber, ut a propoſito vel minimùm hujus auctoritate commoveretur, quem in aliis non probat. Inſtant verò, licet non citaverit in Apologia Tertullianus, cur non utitur hoc Argumento adverſus Judæos? Sed facilis eſt reſponſio, nempe quia hi neque Joſephi auctoritate moventur ut ea credant, quæ in hoc Teſtimonio reperiuntur: præſertim cum eo tempore de Chriſti exiſtentia nemo dubitaret.

31, Nunc ad Origenem ventum eſt: quem Tan. Faber non modò de Teſtimonio ſiluiſſe contendit,ſed & contra illud ſcripſiſſe; adeo ut prout ejus fert ſententia, Origenes ſit ad eorum claſſem, qui creduntur contra hoc Teſtimonium ſcripſiſſe, revocandus. Contra autem ſcripſiſſe creditur, quod aliud Faber planè huic Teſtimonio contrarium in Archæologia ſibi legiſſe videatur. Ex eo duos excerpit locos Faber, quibus præcipuè adductus eſt, ut contra hoc Teſtimonium ſcriberet. Primus eſt ex ejus Commentariis in Matthæum, qui Græcè ſic ſonat, καὶ τὸ θαυμαστόν ἐστιν, ὅτι τὸν Ἰησοῦν ἡμῶν οὐ καταδεξάμενος εἶναι Χριστὸν, οὐδὲν ἧττον Ἰακώβῳ δικαιοσύνην ἐμαρτύρησε τοσαύτην. λέγει δὲ ὅτι καὶ

ὁ λαὸς ταῦτα ἐνόμιζε διὰ τὸν Ἰάκωβον πεπονθέναι. Græca iſta non vidit Faber, ſed Latina tantùm, quæ amplius quid ſonare videntur; ſic autem ſe habent; *Quodque mirum eſt, cum non probârit hanc ſententiam, Jeſum noſtrum fuiſſe Chriſtum, nihilo ſeciùs Jacobo tam magnificum Juſtitiæ Teſtimonium præbet*, &c. Alter eſt è Libro primo contra Celſum, ὁ αὐτὸς, καὶ τοιγε ἀπιστῶν τῷ Ἰησοῦ ὡς Χριστῷ. Sed ex his nihil aliud effici poteſt niſi hoc, Joſephum non fuiſſe Chriſtianum, quod quidem omnes lubenter fatentur. Neque quiſquam adhuc eſt, quod ſciam, qui Teſtimonium aliter explicaverit, ſi paucos excipias, & eos qui huic malè eſſe volunt. Neque ſanè hæc verba ὁ χριστὸς οὗτος ἦν, ut infra videbimus, ſtatim ſupponunt eum qui proferat Chriſtianum eſſe, hoc eſt, agnoſcere Jeſum pro Chriſto, eo modo quo alii Chriſtiani ſolent; ſed ſolummodò ex vulgi captu vel conſuetudine locutum eſſe. Sic ipſi quoque loquuntur adverſarii aliis in rebus; quemadmodum ubi, verbi gratia, Salmaſius & Blondellus quem repudiabant Ignatium, ut falſo nomine ſic vocatum, Ignatium tamen ſæpiùs nuncupant. Quapropter jure, ut ſibi videtur, carpit Hammondum Dallæus de ſcriptis Ignatii p. 445. quòd ſic loquentes ſententiam mutâſſe dixerit. Quod quidem etiam de noſtro Flavio dici poterit, quem injuriè

Digitized by Google

juriè Chriſtianum eſſe vellent, quod in iſto Teſtimonio dixerit, ὁ χριςὸς οὗτος ἦν.

32. Sed ut ad Origenem Fabrumque redeamus. Quandoquidem hic & alii tantopere Origenis auctoritate commoveri, ſiquidem ipſis liceat ut volunt interpretari ejus verba, videantur: quidni mihi, quod his liceat, quando ſe Euſebii atque Hieronymi auctoritate premi ſentiunt; ut nempe Origenis ipſius auctoritatem hac in re nihili faciam, quòd hic non ſatis accuratè Flavii verba legiſſe reperiatur, ſiquidem verba Joſephi de Johanne Baptiſta & Jacobo Fratre Domini eo trahit, ut nequeant cum verbis Flavii, prout nunc leguntur, convenire: & eodemquidem loco, ubi de Chriſto Joſephum male ſentientem fuiſſe aſſerit. Ideoque cum verba Joſephi tam male accepiſſe conſtet, cur non etiam Teſtimonium de Chriſto male intellexiſſe cenſebitur? Ait enim, ut ipſe ex Joſephi ſententia loqui profitetur, Johannem in peccatorum remiſſionem tinxiſſe; deinde propter Jacobi necem Urbis excidium contigiſſe. At vero neutrum horum, ſi verba Joſephi diligentiùs perpendantur, ita ſe habet. Dicendum eſt igitur, Origenem verba Joſephi in rem ſuam torquere voluiſſe: quo fit ut in talibus minùs valeat ejus auctoritas. Rectè itaque quod Euſebio noſtro objecerant his repono. Tantum enim abeſt ut inde quis jure concludat Origenis Co-

Digitized by Google

dices hoc Teſtimonium de Chriſto aliter ac nunc legiſſe, & minus Chriſto honorificè; ut potius ſi verba de Chriſto in Codice Origenis ejuſdem farinæ atque coloris fuerint cum illis que de Johanne Jacoboque referuntur; tum quidem neceſſe eſt ut inde quis jure concludat Origenis Codicem hoc Teſtimonium ſic extuliſſe, ut ne minùs ac in cæteris fuerit Evangelio congruum. Adeo ut ego quidem potius contrarium eorum quæ illi præ ſe ferunt, eliciam. Quæ cum ita ſint, de locis Origenis ſic mea fert Opinio; Origenem non fuiſſe quidem ignarum Teſtimonii Flaviani, ut nunc legitur; neque aliter ac nos id intellexiſſe: ſed cum videret Joſephum narrationem de Chriſti nece ſic eſſe in hoc Teſtimonio conſecutum, quaſi ejus Paſſio nihil ad Gentis excidium aut dedecus pertineret, cum tamen ad illam Jacobi perventum eſſet, non potuiſſe Joſephum adeo tacere, quin factum illud Primoribus Gentis Regique diſplicuiſſe fateatur: hinc ultrà tendens Origenes credit Joſephum de hujus nece tanquam excidii cauſa peroràſſe. Atque ſic ſatis compertum eſt, nihil adverſariis prodeſſe Origenis auctoritatem; ſed Teſtimonium ab eorum objectionibus inde petitis eſſe liberatum. Verum, ut ingenuè fatear, Origenes ex ſola memoria mihi Joſephi verba aut ſententias citâſſe videtur.

33. Ori-

Digitized by Google

33. Origenis ſolidum, ut iſti putant Judicium, illuſtrare conatur Faber iſtis Verbis Theodoriti ex parte poſtrema Commentarii in Danielem deſumptis, quæque Fabro Johannes Dallæus in cauſæ Subſidium ſuppeditavit: Ἰώσηπος ὁ ἑβραῖος τὸ μὲν χριστιανικὸν οὐ δεξάμενος κήρυγμα, τὴν δὲ ἀλήθειαν κρύπτειν οὐκ ἀνεχόμενος. Per me licet, ut Origenes ex his verbis lucem accipiat; at verò cùm extrema verba, Joſephum non potuiſſe Veritatem occultare dicentia, (quæ fraude in his rebus non ferendâ, quia cauſæ ſuæ noceant reticet Faber) pleno quaſi ore clamitent, Theodoritum hoc Teſtimonium de Chriſto vidiſſe; ubi enim gentium, niſi hoc in loco, Veritatem iſtam agnovit Joſephus; tantum abeſt ut Theodoritus ac Origenes contra nos faciant, ut jam clarè perſuaſum habeam utrumque hoc Teſtimonium legiſſe; de Theodorito vero rem eſſe certiſſimam.

34. Ingentem edunt ſtrepitum Faber, & alii nonnulli quoniam Photius de hoc Teſtimonio ſilere videatur. Aiunt vero ſi Photius vidiſſet, utique & annotâſſet; deinde ſi vidit, nec tamen annotavit, magnum argumentum eſſe ipſum exiſtimâſſe fraudem hîc ineſſe. Sed nunquam id efficient quod volunt. Nolo hîc eo confugere ut dicam, non ſemper ex hac Bibliotheca noſci poſſe Photii ſententiam; ſiquidem verum ſit quod olim Hadrianus Valeſius

Digitized by Google

ſus erat pollicitus probare, hanc non eſſe omnem Photii, ſed tertiâ & ampliùs parte interpolatam. His reſpondebo quaſi univerſa fuiſſet a Photio conſarcinata. Primùm ergo rogo, quid ſi hoc non in Photii Lectionibus perlegatur. An ergò falſum aut ſuſpectum eſſe debet quidquid ille dicere præteriit. Ecquid non ſufficit, tot alios ipſo vetuſtiores hujus Teſtimonii meminiſſe. Tantundem eſt ac ſi quis diceret, quod etiam rectiùs ut mea quidem fert ſententia dici poſſit, ea omnia eſſe ſuppoſita in Sacro Codice quæ Joſephus narrare neglexerit. Præſertim cum in Archæologia, quæ in Sacris Judæorum Literis habentur, ipſe profiteatur iſthæc velle ſe conſequi. Photius verò excerptoris partes tantummodò agit; omnia ſe pertractare velle non profitetur. Sanè ubi Photius Archæologiam legebat, non tam notatu digniora excerpere videtur, quam ſingulorum Librorum nuda Argumenta perſcribere, quô factum eſt ut hoc excerptum adeo ſit jejunum, ut nequidem ullam de Johanne Baptiſta, aut etiam Jacobo, mentionem faciat. Quæ tamen vera eſſe plerique adverſarii fatentur. Quin & Excerptorum hic mos eſt ac conſuetudo, ut multa etiam prætereant notatu digniſſima; præcipuè que nota & pervulgata ſunt. Hic itaque cum videret Joſephi Teſtimonium omnibus notum citatumque celebrari, noluit hic excerpere. At verò alia

illi

illi alibi mens fuit, nec enim de Teſtimonio tacuit, ut jamjam videbimus.

35. Urgent porrò; Photius * iſte juſtum Tiberienſem perſtrinxit, quod communi Judæorum vitio laborans nullam prorſus de Chriſto faciat mentionem. Poſtea verò dicit † Librum περὶ τοῦ παντὸς, non videri ſibi eſſe Joſephi, quod Liber iſte de Chriſto loquatur ut vero Deo, & modo inenarrabili generatum eſſe aſſeveret. Reſponſio verò eſt in promptu; nam cum hæc ſcriberet, nondum viderat Archæologiam, ideoque credidit eum eodem quo juſtum Tib. laborâſſe vitio. Utcunque tamen rectè putavit Librum illum, qui eſt Hippolyti, non eſſe Joſephi, quia nimis Chriſtianè loquitur; quodque non eâ ſolâ ratione factum eſt quòd Chriſtus ibi nominetur, ſed quòd Verba fiant de ineffabili ejus generatione tanquam Dei Filii. Ergo ſi fortaſſe præ oculis Archæologiam habuiſſet, cum hoc de Juſto Tib. judicium ferret, aliam eſſet viam conſecutus. De loco ubi Photius credi poſſit Teſtimonium Flavianum legiſſe videamus. Codice CCXXXVIII. clara fit de Jeſu Chriſto mentio, quaſi ex Joſepho, his verbis, ἐφ' οὗ καὶ Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ ἡμετέρου γένους παρθενικῆς ἀποτίκτεται μήτρας, καθ' οὗ καὶ μανεὶς Ἡρώδης, τοῦ μὲν δεσπότου διήμαρτε, φονεὺς δὲ πόλλων νηπίων γίνεται. Dixi, *quaſi ex Joſepho*, Photius

* Cod. XXXIII. † Cod. XLVIII.

Digitized by Google

Photius enim excerptum Joſephi tantummodò videtur excerpere, ait enim, *ἀνεγνώσθη ἰωσήπου ἡ ἀρχαιολογία ἧς ἡ ἐκλογὴ, ὅσα τε ἱστορεῖ περὶ ἡρώδου.* Licet iſta aliter quoque accipi poſſe videantur: quaſi non ſuprà, ſed nunc: non integram Archæologiam; ſed Herodis facta Bibliothecæ ſuæ mandare voluiſſet. Agnoſco tamen lubens Photium iſtud ex ſua ſententia addidiſſe: ſed cum poſteà de Johanne Baptiſta hæc ſubſequantur, *οὗτός ἐστιν ὁ τὸν μέγαν ἀνελὼν ἰωάννην τὸν πρόδρομον δεδιὼς Ἰώσηπός φησι, μὴ τὸ ἔθνος αὐτοῦ διαστήσει.* Utcumque priora hujus ſententiæ Verba ſint Photii, ejuſque ſolùm de Precurſore iſto ſententiam contineant, iſthæc tamen quæ ſequuntur, non ex ipſius modo Photii confeſſione, ſed per ſe ipſa Joſephi eſſe compertum eſt. Nam illa ratio, Johannem in carcerem fuiſſe conjectum, & capite pœnas dediſſe propter Herodis metum, ne Judæos ad rebellionem concitaret, prorſùs eſt Joſephi propria & Evangelio contraria. Quo fit ut etiam quæ ſequuntur, *κατὰ τοῦτον καὶ τὸ σωτήριον ἐγεγόνει πάθος*, non minùs ex Joſephi ſententia, viſoque Teſtimonio dicere potuerit Photius, licet eam ſuis quodammodò verbis obumbret: cum & illa quæ ſequuntur de Anano qui curavit lapidibus cædi ad necem, *Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου*, ad Joſephum quoque pertinere ſit verum. Quæ tria notatu digniſſima ſunt fere præcipua & ſola de qui-

bufdam

Digitized by Google

buſdam fidei noſtræ Principibus viris teſtimonia, quæ Joſephus cum Evangeliſtis communia habere videatur. Quidcunque verò dicant, de Joſephi Teſtimonio Photium non prorſus ſiluiſſe jam patet: nam cum ita cædem Johannis Baptiſtæ & Jacobi deſcribat, ut ipſum Joſephum ſecutus eſſe videatur; tametſi illa ferè ſuis verbis more excerpentium efferat, quidni & Paſſionem Chriſti juxta eundem conſequeretur. Aut ſi Teſtimonium Flavianum de Chriſto non vidit, cur tamen de Chriſti Paſſione loquitur, aut cur non monet Joſephum non minùs ac Juſtum Tiberienſem de Chriſti Paſſione tacuiſſe. Quod ultimum cum Photius nuſquam fecerit, reſtat ut eum Teſtimonium de Chriſto Flavianum perlegiſſe fateamur. Miſcuit equidem ſua quædam de Chriſti natalibus; ſed quid vetat excerpentem cenſoremque, ne ſua quandoque interponat alienis. Sunt qui ſuſpicentur Photium, dum alibi Archæologiæ Librorum Argumenta ſcriberet, rem ita de Induſtria implicare; fortaſſe ut conſulatur iis, quæ ſuprà ſcripſerat de Libro περὶ τῦ παντός, ne ſibi forte nimis apertè contradicere cognoſcatur. Sed vanus eſt hic metus ac ſuſpicio, cum hîc eam de Chriſto mentionem faciat, quam alibi ſicco pede prætererierat, brevitati prôculdubiò conſulens. Quæ cum ita ſint; tum quidem Photius noſter eſt.

Digitized by Google

36. Sed neque adhuc relinquimus Photium; quin priùs, quod nobis objiciunt ex eo ſilentium, in ipſos adverſarios retorqueamus. Etenim ſi verum eſt quod ipſi dicunt, Photium ſilentio ſuo Teſtimonium damnaviſſe, id enim ſubnotare neglexiſſe ea de cauſa, quod ſpurium eſſe tum crederet; cur non ergo Photius, dum tot alios perlegeret, qui id Teſtimonium pro vero agnoſcerent, confutat? Dignum ſanè fuit iſthanc impoſturam ſuâ cenſurâ, ſi quidem eam eſſe impoſturam credidit, perculiſſe. At verò cùm hoc nullibi fecerit, hinc pari jure, ac equidem potiore concludamus, eum quoque non minùs Flavianum Teſtimonium comprobâſſe. Ergo in poſterum ſibi caveant, ne damnoſum iſtud ſilentium, nobis vero utiliſſimum objecerint.

37. Ad alterum adverſariorum genus quod & in iſta recenſendum Oratione pervenimus. Hi autem ſunt Judæi. Nemo autem negabit quin eorum interſit, ne Teſtimonium Flavianum admittatur. Quapropter haud mirum eſto, ſi uno ore omnes hoc Teſtimonium reſpuant. De omnibus diſſerere neque poſſum, neque ſtatui. Fatetur Menaſſes Ben Iſrael in Literis ad Arnoldum datis, hoc Teſtimonium eſſe *Apocryphum* (ſic enim loqui amant) communem Judæorum fuiſſe ſententiam. Quamobrem duo tantùm hîc monebo, deque illis ſolùm, quæ ad rem iſtam maxime pertinere viſa

Digitized by Google

viſa ſunt, diſſeram. Primum enim cum obſervaviſſet Baronius ad A. C. XXXIV. in pervetuſto Judæorum Codice Hiſtoriæ Flavianæ è Græco in Hebraicum Sermonem tranſlatæ abraſam eſſe periocham quandam; quamque ipſe, hoc eſſe de Chriſto Teſtimonium, ſuſpicatur: quo fit ut in Editione Munſteriana hiulca ſit oratio, velut obſervavit Cloppenburgius; hoc avidè arripiunt nonnulli, ut fraudem Judæorum ſuggillent. Faber autem acutè ut omnia, licet minùs cautè, conatur in rem ſuam vertere; aitque, ei qui hoc abraſerit, fraudem ſcilicet ſuboluiſſe: iſte Codex Romanus cum ſit proculdubiò Joſephi Gorionidis inter Judæos hodiernos ſatis noti, non mirum eſſet ſi de Chriſto hìc taceret. Nunquam tamen ego adducar ut credam, in iſto Gorionidis, vel alio quovis Hebræorum Codice extitiſſe hoc de Chriſto Teſtimonium. Omnes in atra caligine verſabantur & Andabatarum more pugnabant, qui de hac periocha ex Romano Codice abraſâ verba faciebant; donec exortus ſit Vir in Literis Hebraicis doctiſſimus Johannes Chriſtophorus Wagenſeil, qui ex Editione Hebræa Cracovienſe & Germanica Verſione Pragæ per Judæos editâ, oſtendit in iſtis verbis, hinc ſublatis & abraſis, illinc omiſſis ſermonem eſſe de Tiberio Cæſare Pilatoque, qui ſtatuas in Urbem Hieroſolymorum noctu eſt conatus inducere, quibus Plebs Judæorum valde fuit

com-

Digitized by Google

commota. Quæ verba cum ſint in Tiberium paulo duriora; ne hodiernos Imperatores offenderent, partim ex ineditis Codicibus ſunt ſublata, partim etiam in editis quibuſdam omiſſa a Judæis Germanis; licet alii in ſuâ Sarmatiâ, Cæſaris iram non pertimeſcentes, hæc verba repoſuerunt. Hinc cognoſcite quàm periculoſum ſit, ut obſervat quidam, de loco aliquo corrupto aut genuino, ſine Codicum auctoritate, judicium facere, vel fidem aliis habere.

38. Vir doctiſſimus me comiter monuit per literas, Judæos ipſos fraudem noſtri Teſtimonii comprobâſſe; imò pugnâſſe locum non extare in antiquiſſimis Joſephi manu exaratis Codicibus Mediceis; idque Coſmo I. Etruriæ Duce fuiſſe compertum. Hæc enim narrare Auctorem Portæ Veritatis M. S. qui floruit & ſcripſit circa A. C. CIƆIƆCXXX. Quanquam difficile ſit de illis loqui Codicibus, quos nunquam vidi, habeo tamen quædam non ſpernenda, quæ huic Judæo opponam. Primò enim ſatis conſtat, Judæos cùm de Joſepho loquantur, eum intelligere, quem in manibus verſant, Gorionidem ſcilicet Hebræum; de quo ut aït R. Menaſſes Ben Iſrael, eundem eſſe cum Flavio Joſepho, nunquam fuit inter Judæos lis ſuborta: quoniam unanimiter credant, Flavium ipſum, ſcriptorum Hebraicorum quæ ſub Nomine Joſephi Gorionidis volitant

litant

litant, auctorem eſſe. Hunc vero Gorionidem non mirum eſt præteriiſſe teſtimonium de Chriſto. Sed & Gorionidem eſſe, quem hic Judæus laudat Veritatis Portitor, Hebræum, vel ſaltèm Hebraicè ſcriptum, nullus dubito; cum noſtrum Flavium, cujus Archæologia Græcè extat, omnes penitùs Judæi hodierni rejiciant, prout infrà comprobabo; Gorionidem ſuum ſolumque admittant. Sed quem Joſephum? Judæum quidem, ſed nugatorem, impoſtorem, ignarum, impudentem, multò recentioris ævi. hominem, utpote quem conſtet non ante IↃCC annos ſcripſiſſe, cujuſque nemo Judæus ante CCCCLXX annos meminit. His enim eum ornat laudibus Scaliger. Quinetiam probat, Turonenſem Francum fuiſſe; & produnt eum ſua ſcripta. Hunccine igitur iſte Veritatis Portitor nobis obtrudere pro vero & genuino Flavio? Nihil tamen hic facit, quod non ab aliis in hoc negotio factum ſit priùs: fertur enim, hac ratione [a] Iſaacus Abarbanel Flavii auctoritatem negligere, *non enim*, inquit, *ſic extat in Libro F. Gorionis, qui inter nos eſt.*

39. Quantumvis autem iſte Veritatis Portitor aſſeveràret extare Codices M S S. Flavianos, Græcè

---

[a] Commentar. in Daniel. vid. Obſervation. Gul. H. Vorſtii ad R. David Ganzii Chronologiam.

Græcè vel Latinè, in Bibliotheca Medicæa, illi tamen nullam fidem haberem, cùm aſſerat in illis non comparere teſtimonium de Chriſto Flavianum. Nam cùm Iſaacus Voſſius, Vir candidus & in tractandis id genus literis peritiſſimus, decem aut circiter, nec ampliùs annis poſt hunc Portitorem, & eodem quoque tempore Emericus Bigotius, iiſdem laudibus digniſſimus, omnes Bibliothecarum Florentinarum forulos excuſſerint; ac ibi etiam duos codices M S S. Flavianos contulerint, & ſecum invicem communicaverint; quis dubitat Voſſium ſiquid hujuſmodi ſibi compertum eſſet, non fuiſſe taciturum? Sed & omnes qui de hoc ſcribunt teſtimonio, uno ore clamitant hoc teſtimonium in omnibus legi codicibus, etiam antiquiſſimis. Neque hoc negavit Blondellus, ſed aliunde vim horum omnium conatur eludere. Uſquedum vero ampliùs conſtet de Florentinis Codicibus; oppono iſtis Rabbinicis & antiquiſſimis quod aiunt Flavii Joſephi M S S. exemplaribus, primo quidem Codices Euſebii, Ambroſii, Hieronymi, Ruffini, Caſſiodori, aliorumque vetuſtiſſimos fideiq; non temeratæ: deinde & alios qui adhuc extant; qualis eſt ille in Bibliotheca Cæſaris Græcus, ab Augerio Buſbequio olim Conſtantinopoli comparatus, quemque ad partes Lambecius advocat: atque etiam dua alii Latinè verſi, in

in eadem Bibliotheca, membranacei; qui omnes hoc teſtimonium repræſentant. Poſteà verò etiam oppono codices quibus uſi ſunt Iſaacus Voſſius & Emericus Bigotius, partim græcos, partim verò latinos; quorum unum habuit Iſ. Voſſius, nugatore Gorionide antiquiorem, hoc eſt jam ante octo ſæcula exaratum, qui quidem antiquam verſionem exhibet. Denique Codicem Peireſcianum, quem vidit Henricus Valeſius: niſi & hunc quoque viderit Bigotius. Eum autem ſatis eſſe vetuſtum credo, quia adſcripta habuit Scholia in Teſtimonium Flavianum, ex quo unum Scholion infrà deſcribam.

40. Reſtat ut jam tertium genus adverſariorum, hoc eſt Chriſtianorum, recenſeamus, qui partim de fide hujus Teſtimonii dubitare, partim etiam contrà ſcribere, & inſertum ab aliena manu probare ſunt conati. Quem verò primum omnium qui de hoc teſtimonio dubitâſſe feruntur, falſumve pronunciâſſe dicam, nondum ſtatui: mens enim inter duos eodem tempore florentes, Hubertum ſcilicet Giſanium, Juris Conſ. & Lucam Oſiandrum, Theologum hæret dubia. De Luca Oſiandro primo loco perorabo; quia ejus liber in quo adverſus Teſtimonium ſcripſit, ad manus meas pervenit; de Hub. Giſanio, quem tamen antiquiorem fuiſſe credo, fando tantum audivi;

Digitized by Google

neque ipſe fortaſſe literis commiſit ſententiam ſuam; fierique potuit, ut neuter alterius rationes contulerit cum ſuis. Lucas Oſiander quando floruit, ex eo licet, conjicere, quòd teſte * Thuano, A. C. CIↃIↃLXIV. colloquio Maulbrunenſi de controverſia Euchariſtica interfuerit, Notarius ex parte Virtembergicorum delectus, cui ſocius ſit adjectus Gulielmus Xylander è partibus Palatinorum. Deinde † A. Chriſti, CIↃIↃLXXXI. cum M. Cruſio junctus, diſputationem inſtituit contra Hieremiam C P. Patriarcham. Is igitur Oſiander cum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Epitomen ederet, relictis || Centuriatoribus Magdeburgicis, de hoc teſtimonio ſic pronunciat: *Teſtimonium Joſephi de Chriſto, ego omnino ſuppoſititium eſſe credo, & ab aliquo ſciolo ipſius libris inſertum. Si enim Joſephus ita de Chriſto ſenſiſſet, ut teſtimonium illud præ ſe fert, Joſephus fuiſſet Chriſtianus, cum tamen in omnibus ejus ſcriptis nihil prorſus, quod ſaltem Chriſtianiſmum redoleat, reperiri queat.* Hæc quidem leviuſcula eſt, tamen eſt ratio: ſed Hubertus Giſanius nullam prorſus ſuſpicionis ſuæ dedit, quantum potui cognoſcere, rationem. Audiamus Sebaſtianum Lepuſculum. *Hub. Giſanius*

* Thuani Hiſtor. Lib. XXXV. † Thuani Hiſtor. Lib. LXXIII.
|| Cent. I. Lib. II. Cap. 7.

Digitized by Google

us J. C. omnium diſciplinarum & antiquitatis ſtudio ornatiſſimus, exiſtimavit hunc locum eſſe ſpurium: & a Chriſtiano quodam Patre, qui Judæis & Chriſtianis factum vellet interpoſitum. Quid non licebit, ſi ſuſpicari modò ſit ſatis ad evertendam ſcriptorum fidem? Hic ſanè nihil, præterquam ſuſpicatur.

41. Hos ſequuntur Jacobus Salianus, Alphonſus Salmeron, & Auguſtinus Maſcardus; & æquis propemodum paſſibus [a] Jacobus Capellus, cujus verba pariter atque ſententiam ſequitur [b] Ludovicus Capellus: cui etiam magna fuit de hoc loco cum Johanne Cloppenburgio controverſia; quamvis uterque idem de ſuppoſitione Teſtimonii ſentiret; ſed de modo & ratione lis erat, altercabanturque de rei qualitate, priùs quàm de exiſtentia conſtaret. Iſtis quoque temporibus hoc Teſtimonium damnâſſe feruntur ſequentes, (non enim puto ſententiam ſuam palàm feciſſe, quod cum ita ſit, eorum nomina ex aliena fide coactus ſum recuperare.) In hoc itaque numero ſtatuunt Danielem Heinſium, M. Z. Boxhornium, Claudium Salmaſium, Johannem Fredericum Gronovium, Gulielmum Henricum Vorſtium, Johannem Freinſhemium, Theodorum Graſwinkelium, & Johan-

[a] Comm. in Act. Ap. [b] Compend. Hiſt. Judaicæ.

Digitized by Google

Johannem Dallæum: quibus addi poteſt, [c] Chriſtophorus Noldius, qui Capellum ſequi videtur, ejuſque comprobare rationes.

42. Iſti quidem non multum mali Teſtimonio Flaviano feciſſent, niſi Sebaldus Snellius, & Chriſtophorus Arnoldus, in Germania rem iſtam aggreſſi, in eo opere tantis ingenii conatibus deſudaviſſent, ut Teſtimonium propemodùm confeciſſe videantur. Ille duo tantummodo præcipua objicit; primò quidem connexionis defectum, deinde Photii ſilentium. Hic vero quaſi ſibi diffiſus, opem amicorum imploravit, quorum ſollicitatis ſententiis, in cauſæ ſubſidium advocavit; præſertim autem D. Blondelli, atque Tanaquil. Fabri, qui, dum cæteri in Germania litem inter ſe agitarent, in Gallia Judicio conſtituto, Teſtimonium prorſus rejicere & damnare voluerunt. Cognoſcite igitur quibus rationibus freti, tam inſolenter ſe extulerint, ut ne quidem ampliùs quemquam de ſuo judicio dubitare patiantur. Hæc verò proponit D. Blondellus adverſus teſtimonium: Primò, quòd deſit connexio, cum non cohæreat Teſtimonium neque præcedentibus, neque ſubſequentibus. Secundò, falſum eſſe, quod dicatur de Chriſto, quaſi ille multos Gentiles ad ſe traxerit. Deinde tertiò, in id quoque animadvertit, quod Chriſtus vir eſſe

dubi-

[c] Hiſtor. Idam, Num, XX.

Digitized by Google

dubitetur, quia mirabilium operum erat effector. Quartò, negat Blondellus, Chriſtianos ex gentibus ac Judæis promiſcuè collectos, dici φῦλον potuiſſe. Quintò denique, abſurdum eſſe, Joſephum a Chriſtianiſmo alieniſſimum, & ad Gentiles potiùs inclinantem, prædicare Chriſtum reſurrexiſſe, & in illo completa fuiſſe divina vaticinia. Habet iſte quoque quid peculiare; nempe, cum illud quod occurrit in Archæologia de Johanne Baptiſtà teſtimonium, rejiciat. Sola vero huic eſt ratio, quòd nec iſta bene cum cæteris cohærere videantur.

43. Tanaquilli Fabri diſſertatio eſt longiuſcula, cùmque illa multa complectatur, ut falſitatis hujus teſtimonii probationem conſequatur, rationum capita & argumenta, hic ſubnectere non gravabor. Primo quidem loco objicit; multa hîc dici, quæ Joſepho dicere minimè conveniat, Phariſæo, ſacerdoti Judæo, religioniſque avitæ tenaciſſimo. Secundo; ſtylum teſtimonii negat eſſe Joſephi proprium, ſed laxum & hiulcum, ſecus ac Joſephi ſoleat eſſe. Tertio vero culpat, quod de Jeſu dicatur Ἰησοῦς τις, & mox εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρὴ, ſine judicio cenſet ſcripta, his enim vult innui Jeſum fuiſſe Deum, cum tamen Meſſiam non alium quam hominem expectarent Judæi. Quarto; quod hujus teſtimonii auctor non ſatis Gentilium Lectorum, quibus præcipuè ſcrip-

ta eſt Archæologia, inſcitiæ conſuluerit. Quinto; quod deſit mentio præcurſionis Johannis Baptiſtæ. Sexto; quod deſit connexio periochæ cum cæteris, ut jam intruſa videatur. Septimo; conjicit ex Hieronymi verſione, huic ſuboluiſſe fraudem iſtam. Octavo argumento, utitur ſilentio Juſtini Martyris, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis, Theodoriti, & Photii. Nono, producit ex Origenis Commentariis in Matthæum, & Libris contra Celſum, binas ſententias, quibus oppugnat teſtimonium, quale nunc legitur, & contrarium potius in Origenis codicibus ſcriptum fuiſſe primus docet.* Tandem vero decimo loco, conatur Euſebium, cujus auctoritate teſtimonium nititur, futilem ſcriptorem, vanumque comprobare, denique, auctorem & inſertorem eſſe teſtimonii conjicit.

44. Quinetiam audio extare quendam librum, ab Hiſpano quodam latinè ſcriptum, duaſque diſſertationes continentem: alteram, de nomine Jeſu, alteram verò de hoc teſtimonio, cujùs fraudem ex antiquitate conatur detegere. Videant illi quibus eſt ad manum. Elias Dupinus, auctor nuperus, nihil habet de ſuo, nec ipſe nova ſe conferre jactat: aliorum argumenta, quæ quidem ſcopum attingere viſa ſunt, ad ſex capita reduxit; cætera neglexit ut minùs valida. Primum ex ſtylo deſumptum

Digitized by Google

tum eſt; ſecundum, quod integra Periocha, cum interrumpatur orationis connexio, poſt exactam Hiſtoriæ ſeriem inſerta fuiſſe videatur. Tertium argumentum hinc petitur, quòd verba teſtimonii per ſe ſumpta ſatis oſtendant, Chriſtianum hîc induci loquentem, Jeſum vocari Deum, agnoſci ejus miracula, reſurrectionem, vaticiniorum in ipſo completionem. Quis hoc credat dicere Joſephum, qui de miraculis in Veteri Teſtamento ſcriptis, quodammodo dubitare ſoleat? Quartum, quod non ſit veriſimile, ut Joſephus addictus Judæis, tam honorificè de Chriſto ſit locutus. Quintum, debuiſſe Joſephum cum de Jacobo verba faceret, annotare ſe loqui de fratre ejus, quem prius in Hiſtoria memoraverat. Sextum denique, ignotum hoc eſſe Veteribus teſtimonium. Sic ille. Hîc etiam collocandus videtur Thomas Ittigius, qui quantumvis cenſeat teſtimonium eſſe alicubi interpolatum, non tamen ſatis hoc defendi poſſe exiſtimat, nec ſatis validas eſſe Huetii, nec Lambecii rationes putat, nihil tamen ampliùs affert quod non ab aliis dictum ſit priùs.

45. Amici beneficio venit etiam ad manus meas ſcripta diſſertatio cujuſdam Sorbonici de hoc Teſtimonio. Circa quam non eſt quod diu laborem, cum nihil inſit quod Dupino ſit intactum, cum quo fere videtur rationes ſuas contuliſſe:

tuliſſe: & habeat inſuper hoc cum illo commune, ut teſtimonium de Johanne Baptiſta rejiciat. Atque hactenus de utraque hujus Teſtimonii fortunâ, tum ſecundâ, tum adverſâ. De cujus fide & auctoritate, ſi per defenſores atque adverſarios judicemus, pro Teſtimonio reperiemus defenſores numero quidem plures, ætate vero omnium antiquiſſimos; cum admodum ſit recens quæ adverſus hoc Teſtimonium commota lis fuit. At verò, ſiquidem res non ſola agitur auctoritate, alia quoque ad ejus defenſionem ſunt argumenta revocanda.

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA, LIBRI I.

De Uſu & Auctoritate Teſtimonii FLAVIANI.

1. AD alteram orationis noſtræ partem tranſeamus, in qua dicere ſtatui de uſu Teſtimonii, & defenſionis neceſſitate; & in quanta, ſi verum eſſe reperiatur, apud nos auctoritate ſit habendum: quanquam autem id præclarum eſſe debet, nec ſine honore colendum, quod tot & tanti viri per omne ævum non indignum eſſe ſuis laboribus ac laudibus judicârunt: quia tamen illi qui illud flocci faciunt, ut a ſe hujus negligentiæ invidiam amoveant, dictitare ſolent, non multùm poſſe religionem Chriſtianam hoc Teſtimonio promoveri, huic enim non habere fidem Judæos, nec Joſephum capere arbitrum: quæ dubia ſunt vel falſa rei Chriſtianæ obeſſe potiùs quàm prodeſſe, cùm ad religionis veritatem comprobandam, quaſi vera ſint, proferantur: nihil eſſe commune luci cum tenebris, Chriſto cum malo Dæmone:

veritatem

veritatem religionis Chriſtianæ cum fraudibus meticuloſæ pietatis conjungi non debere: vetuiſſe Paulum Apoſtolum ne ſpiritus impoſtor quicquam, licet verum, de ſe prædicaret; non enim egere ſe hujus teſtimonio, qui mendax ab initio fuiſſet repertus: Paulum in eo ſecutum eſſe Magiſtrum ſuum, qui Dæmonia ipſum pro Chriſto agnoſcere, palamque profiteri vetaret: hæc omnia cum prædicent; ideò, ne operam in hiſce diſſertationibus perdidiſſe videar, his reſpondendum eſſe aliquid exiſtimo, quo demonſtrem, nonnihil uſûs eſſe, ut hoc Teſtimonium ſervetur & adhibeatur; nec tam vili ejus auctoritatem eſſe faciendam.

2. Nemo negaturus eſt, ſiquidem verum fuerit hoc Teſtimonium, quin pro argumento firmiſſimo poſſit uſurpari contra omnis religionis hoſtes, quales ſunt Athei, & quos nunc Theiſtas vocamus, præcipuè autem contra Judæos, & maximo cum emolumento; niſi, ut olim nimis erant iniqui Joſepho Flavio, ſic & nunc ſolerent ejus ſcripta contemnere. Judæos itaque, ſi quis humanis ratiociniis confutare voluerit, nequid hîc dicam de divinis auxiliis, illi laborandum eſt primùm, ut ad meliores priſcorum Judæorum opiniones fidemque revocentur. Nam ex quo alias amplexi ſunt opiniones, quæ ſui non admittebant patres, qui nec tanto Chriſtianorum odio flagrârunt, cùm necdum ex Chriſtianis mali-

quid-

Digitized by Google

quidpiam eſſent paſſi, difficilior eſt eos convertendi ratio. Multa enim nunc recipiunt tanquam veriſſima, quæ noſtris conatibus adverſâ fronte repugnant. Quæ quidem licet antiquis Judæorum opinionibus ſint contraria, ab iſtis tamen admittuntur, quia nempe contra Chriſtianos facere poſſe maximè viſa ſunt. Quod ut faciliùs intelligatur, & ne qua fides dictis deſit, quædam eorum hîc apponam, præcipuè illaquæ noſtrum Flavium propiùs reſpiciunt. Sunt autem hujuſmodi, ut his admiſſis nihil polleat Evangelium, nihil Joſephus, aut quiſquam bonæ notæ liber. Nam quale eſt illud quod aiunt, Davidem ipſum non fuiſſe vatem, neque Danielem? Nunc-Judæos gentem eſſe ſapientem atque prudentem, hoc ſibi quod Deus * priſcis attribuit conferentes. Non licere cuiquam rationem inire de venturo Meſſia; hæc enim, præter illam mendaciorum farraginem, quam traditionum avitarum nomine recipiunt, niſi penitùs ablegent, non eſt quod quiſquam de horum ſalute ſperare poſſit. His quoque addo, ut opinionem illam putidiſſimam deponant, quâ nullis præterquam ſuis Scriptoribus, nedum Hiſtoricis ſe credere fatentur. *Nos*, inquit † R. Dav. Ganzius, *Sanctus cœtus Iſraelis non credimus hiſtoricis, qui non ſunt è filiis Iſraelis:* Quamobrem eouſque inſaniæ

pro-

* Deut. IV. 6. † Zemach David Lib. II. pag. 169.

progreſſi ſunt, ut ipſum Moſem Ægyptium Maimonidem, quod videatur quandoque Talmudis auctoritatem contemnere, & Chriſtianorum interpretationes in locis quibuſdam propheticis ſtatuminare, perhorreſcant: & paſſim ab iſtiusmodi ſuperſtitioſis ejus libri flammis adjudicentur, qui infenſiore ſunt erga Chriſtianos animo. Ergo adlaborandum eſt, ut Joſepho Flavio melius velint: quem ſi in aliis etiam ſequerentur, citius faciliùſque ad religionem Chriſtianam amplectendum adducerentur. Prava enim præjudicia iſte excuteret, neque ipſi tam benè de hodiernis Magiſtris ſentirent. Pergamus igitur, ac perpendamus, quæ adverſus Joſephum, tum Judæi generatim objiciunt, tum etiam ſpeciatim alii quoque, contra uſum ac neceſſitatem teſtimonii. Hoc eſt, ut ipſius Teſtimonii fidem atque veritatem confirmemus, Joſephi fides eſt primo loco ſtabilienda. Multi enim, licet hoc Joſephus ſcripſerit Teſtimonium, in eo tamen acquieſcere ſe velle negant, neque Joſephi auctoritatem flocci faciunt, neque tanquam teſtem idoneum ac fide dignum admittunt. Quas igitur Flavio faciunt injurias, erit operæ pretium nobis Teſtimonii defenſoribus repuliſſe.

3. Prima quæ fit injuria Flavio Joſepho eſt, quod cùm Judæorum Gorionide conferatur; a pleriſque vero Gorionides iſte Flavio præponatur. Sed fruſtrà; neque enim de hoc Gorionide

onide inter Judæos adhuc convenit. Johanni Pico Mirandulano plures Hebræi ſunt confeſſi, notha eſſe & adulterina quæ ab illo de variis Judæorum rebus ſcripta ſunt. Ex quo is concludit, illorum Joſepho Gorionidi fidem nullam habendam eſſe. De ſuo tamen Joſepho aliter ſentit * R. Dav. Ganzius, aut ſentire videtur, ſed in eo paucos habebit conſentientes, ſi de Flavio intelligatur prout iſte græcè ſcripſit; ſin aliter, omnes probum eſſe ſcriptorem fatebuntur, & Flavio anteponendum. Nam Flavium Apoſtatam † Iſaacus Abarbanel non veretur vocare. Minimè itaque illi eſſe credendum, quia diſplicent ea quæ de Danielis Hebdomadibus ſcripſit Flavius, cum quo non conveniat Gorionides, qui inter ipſos eſt. Ego ſanè nullam hîc inter Flavium & Gorionidem Planum comparationem inſtituere decrevi. Siccine enim hujus Annales Voluſiani cum Græco Livio, uti loquitur Hieronymus, conferentur? Hinc verò ſolum illud deprehendo; Judæos iſtos natura quidem ad miſeriam eſſe natos, ut abjectis bonis literis, quæ cum veritate ſolent conſociari, errori & mendacio credant, nec niſi quiſquiliis, anilibus fabulis, craſſiſſimâque nebulâ delectentur. Auferendi ſunt itaque Judæis Gorionides, aliique ſimilis farinæ

* Zemach David Lib. I. Mill. IV. ann. 829. † Comment. in Dan. Font. 10. palm. 7. vide notas J. H. Vorſtii ad Ganzii Chro. pag. 286. &c.

Digitized by Google

ſarinæ nugatores; qui niſi auferantur, nunquam erit de eorum converſione ſperandum. Optima igitur fuit illa Cæſarum ratio, qui Judæos perlegere ſuos ſcriptores, præcipuè autem compilatores traditionum vetabant. Hoc niſi fiat, cur ipſos ſemper eadem falſiſſima legentes, ſententiam mutaturos eſſe ſperabimus? At verò cum hoc nimis fuerit difficile ac pene impoſſibile, ſtrenuè laborandum reſtat, ut tandem aliquando malè de ſuis ſcriptoribus ſentiant.

4. Poſthabitâ igitur hâc comparatione, quæ Flavio Joſepho nequit eſſe honorifica, Judæos, condonando ipſis quod petunt, preſſiùs urgeamus; ut nempe Flavius idem ſit cum Gorionide. Licet autem Ganzius, || doctiſſimus eorum ſcriptor Annalium, maxime æſtuet, ut exponat, quomodo Gorionides qui ſe Julio Cæſare Imperante, vel ſaltem anno Julii Cæſaris XIX, natum fuiſſe annos LXX ſcribit, ad excidium ſecundi Templi pervenire potuerit, quo tempore ducenteſimum exegiſſet annum ætatis: quoniam tamen ipſe auribus pronis hanc excepit fabulam, demus Judæis & Gorionidem verum eſſe ſcriptorem, & eundem eſſe quem nos Flavium nuncupamus, qui & græcè & hebraicè Belli Judaici hiſtoriam perſcripſerit, eoque modo, quo & apud nos,

|| Zemach David Millen. IV. ann. 757.

nos, & apud illos, habetur. Hinc itaque ſic ad hominem, quod aiunt, argumentabimur, ideoque Judæos ſuo ſibi jugulabimus gladio. Ferunt enim Annales Judæorum, nec non, Digeſta Talmudica, teſte ipſo Ganzio, Joſephum Gorionidem, hoc eſt Flavium ipſum, dictumque Joſippum, fuiſſe fratrem Nicodemi filii Gorionis Sacerdotis: huncque fuiſſe ditiſſimum omnes fatentur. Quid, quod * R. Eliezer in Capitulis aſſerit, hunc fuiſſe Judæorum Virum primarium, & ſupremum inter magnates Hieroſolymitanos locum obtinuiſſe; adeo ut & nominis & temporis conditioniſque ratione, iſte Nicodemus nequeat alius eſſe a Nicodemo illo de quo Johannes in Evangelio, idque duplici loco, ſatis longas & honorificas habet digreſſiones. Iſte vero Nicodemus etiam coràm de Chriſto præſtantiſſimum dedit Teſtimonium, atque Flaviano ſimillimum. Et poſtea Chriſto accuſato ac ſuperſtite, non ſecus ac paſſo, reverà oſtendit quanta fuerit apud ſe Jeſu Chriſti exiſtimatio. Si igitur Nicodemus tam honorificè de Chriſto ſenſerit, palamque ſit profeſſus, ut teſtatur Evangelium; quidni & Joſephus frater pariter ſentiret; cùm, ut dixi, nihil ſimilius Teſtimonio Flaviano quam ſit illud Nicodemi in Evangelio. Aut negent ergo Teſtimonium

G Nicodemi,

* Pirk Eliezer cap. 2.

Digitized by Google

Nicodemi, aut utrumque admittant. Sed de hac comparatione hoc ſatis eſto, cum hanc tantummodò obiter attigerim, ut alias in altera diſſertatione hac uti poſſim tanquam cauſâ integrâ.

5. Sed quid mirum, Judæos hodiernos tam malè Flavio velle, qui eorum cauſam nihil prorſus juvare ſoleat; cum & ipſi Chriſtiani, aut ſaltèm non pauci inter hos, Flavio parum ſint æqui cenſores. Quoniam non omnia ſcilicet dicat, quæ eum dixiſſe vellent; aut aliena prorſus ab ipſorum rationibus referat. Is enim certè mos eſt hominum iniquiſſimus, qui utilitate quam ad ſuam cauſam conferri cupiunt, ſic etiam ſcriptorum auctoritatem probent. Sanè moroſos hic habet cenſores, qui neque loqui quæ voluit, neque tacere quæ iſti vellent dicta, patiuntur. Quidam in Joſepho culpant ſummam ac intolerabilem mentiendi libidinem; quidam negligentiam; alii fraudem & adulationem; nec minima eſt eorum querela, qui acriter in eum inſurgunt, quod antiqua Moſis & aliorum miracula elevare videatur. Sed qui ſic judicant, ferè Joſephum, aut ejus conſilium ſe neſcire fatentur. Quum doctiſſimi, hoc, & ſuperioribus ſæculis ſcriptores, de Joſepho aliter ſentiant. Etenim † Theophylacto audit φιλαλήθης. Quem hic

† Theoph. in Matth. XXII. 7. Ed. Roman. p. 93.

hîc laudo, quia ſuſpicor eum nunquam hoc de Joſepho dicturum fuiſſe, niſi etiam legiſſet Teſtimonium de Chriſto, pariter ac cæteri græci ſcriptores. At vero Joſepho Scaligero non ſolùm φιλαληθέστατος appellatur, ſed & diligentiſſimus omnium ſcriptorum; cui tutiùs credatur quam cæteris quibuſcunque, tum græcis tum latinis ſcriptoribus. Hoc etiam addo; licet nulla hujus Teſtimonii ratio haberetur, ſi tamen Judæi Flavium admitterent, ejuſque ſcripta legerent, tanta ſunt ac præclara in illis veritatis indicia, ſcripturaſque ſacras ſine præjudiciis legendi ſtudium, ut fieri nequeat, quin Judæi pertinaciâ ſuâ depoſitâ, ſtatim ad partes noſtras tranſirent. Sed ad objectionem illam redeo, quæ rem noſtram propiùs attingere videtur: non enim ſtatui generalem hîc Joſephi defenſionem ſuſcipere, ſed illorum, quæ tantummodo cum Teſtimonio de Chriſto quadam affinitate conjuncta ſunt.

6. Eſto ſanè ut Joſephus de tranſitu Hebræorum per mare Erythræum deſiccatum loquens, hoc παράδοξον, ſic enim ipſe vocat, cum tranſitu Alexandri magni per Pelagus Pamphylium comparaverit, quo magis ei haberent fidem lectores Gentiles, qui hoc factum eſſe in nuperis de geſtis Alexandri ſcriptoribus legiſſent; an ergo dicendum eſt, Joſephum miraculis non credidiſſe Moſaicis? An quia

Digitized by Google

Hugo Grotius Vir doctiſſimus, idemque acerrimus ac diligentiſſimus pro veritate Religionis Chriſtianæ propugnator fidem de Chriſti reſurrectione, petitis aliunde ex Hiſtoricis profanis exemplis ſtabilire conatur, ergo miraculum reſurrectionis Chriſti cenſendus eſt elevare voluiſſe? non vident iſti quantum hæc adverſâ fronte pugnent. Culpant quod de Chriſti miraculis, ut veris, ſit locutus, cum etiam dubitaſſe de Moſaicis conquerantur. Eſto ſane demum ut neutra vel utraque crediderit Joſephus. Quidni igitur & hæc pariter ac illa in Hiſtoria ſua fideliter recenſere potuiſſet? Ut ut vero de utriſque eſt locutus, diſpar tamen eſt utraque narrandi ratio. Aſſero eum miracula Moſaica credidiſſe, Chriſti miracula credidiſſe dubito. Moſaica enim effuſa oratione perſequitur, Chriſti vero pede ſicco tranſit & ſubſultans attigit. Quemadmodum fidum quidem decuit ſcriptorem, ſed Judæum.

7. Tertio verò, licet Judæi Gorionidem cum Flavio Joſepho confundant, illumque nugatorem, quod pro ipſis ſtare videatur, magni faciant; Flavium tamen, hoc eſt, Archæologiæ Judaicæ græcè conſcriptæ auctorem, rejiciunt ſtultitiâ nullatenus æquiparandâ, & ſervulum adulatorem, aſſentatoremque aulicum vocant; varium denique ac deſertorem, eadem prorſus ratione, qua Danielem è Vatum numerò expungunt. De Daniele teſtem

audito

audito * P. Cunæum, *Nempe audio,* inquit *quia in aula atque in regum cultu ætatem egit, quia politicus fuit & vatem profeſſus non eſt.* cujus conjecturam fulcit ea Judæorum ſententia, *tempore perſecutionis, ac præſertim quando ſervitur gentibus ceſſare vaticinandi facultatem, ideòque neque captivum, neque ſervum, neque exulem aut ſui non compotem, vatem eſſe poſſe.* De Joſepho quoque Flavio ſic Iſaacus Abarbanel, & alii inter Chriſtianos, qui quòd Joſephus fuerit aulicus, neque fuerit ſe Chriſtianum profeſſus, de Chriſto teſtatum nolunt, neque uſquam audiendum eſſe. Et hæc quidem eſt ratio eorum certa ut utrumque abdicent; ſed vera eſt, quod ſtantibus eorum rationibus, cauſâ protinus Judæi cadant. Sic igitur, quia contra iſtos, quod cum ratione dicant, nihil habent, ad hoc tandem confugiunt, ut ſatis ſit illis, ſi utrumque aſſentatorem aulicum poſſint, quo jure quâve injuriâ, nuncupare. At vos Judæi, quæſo cur Gorionidem veſtrum admittitis quem fuiſſe Flavium illum confitemini? Si veſter Gorionides non fuiſſet ſervus, eſſet fortaſſe quod Flavium cum quadam rationis ſpecie culparetis; at vero, cum eadem fuerit & ſimilis utriuſque fortuna, cur hunc diſertum atque veriſſimum, impoſtori veſtro nugaciſſimo atque ſtultiſſimo poſthaberetis?

* De Repub. Heb. Lib. III. cap. 7.

Digitized by Google

retis? Aut quid tandem cauſæ cum ratione afferetis? Vos certè O Judæi ea ratione qua Joſephum ablegâſtis, iniquiores ipſo Porphyrio, veſtræ haud ſecùs ac noſtræ religionis hoſte infenſiſſimo, videmini. Nam iſte, cum auſus non eſſet pro Vate non agnoſcere eum, à quo tam multa, & tam clara fuiſſe prædicta ſciret, ad id tandem divertitur, ut neget a Daniele ſcripta eſſe Vaticinia. Vos vero, qui non inficiamini ejus eſſe Auctoris, cujus nomen præ ſe ferunt, facti eſtis ipſis religionis veſtræ hoſtibùs pervicaciores, eademque pertinacia Joſephum horretis, quod æquus ſaltèm erga Jeſum noſtrum eouſque fuerit, ùt de eo aliquatenus honorificè ſit locutus. Quæ cum ita ſint ſtultè atque injuſtè comparata, quid aliud, O miſeri, niſi ſummam amiſſo pudore cum pervicacia ſtultitiam proditis?

8. Sed quid vobis tandem O Chriſtiani dicam, qui cum Flavio Joſepho præclarum hoc Teſtimonium invideatis; ut illud ſimul extorqueatis, creditis multum effeciſſe dicendo, Joſephum fuiſſe aulicum Virum, nihilque veri teſtari potuiſſe: quia ſemel iterumque adulatus eſt Hero Imperanti & adhuc ſuperſtiti, dum beneficii ſummi memoria recentiſſima maneret, neque periculum tranſiiſſet; nunquam poſtea mutare ſententiam potuiſſe, ut vel ſemel ſine fuco loqueretur, daretque non valde amplum, digniſſimum tamen veri-

tati

Digitized by Google

tati Teſtimonium. Quaſi qui ſemel adulando quid dixerunt, in illa plerumque falſiſſimâ, & ad tempus ſaltem neceſſitate receptâ ſententiâ permanere cogerentur. Abjicite in poſterum omnium quæ ad hanc pervenerunt ætatem Hiſtorias optimas, cùm plerumque conſcriptæ ab aulicis ſint viris. Quaſi quiſquam alius geſtorum conſiliorumque veritatem iſtis melius ſcire poſſit? Nunquam ergo in poſterum credite Jac. Aug. Thuano, vel Paulo Servitæ; Huic Hiſtoriâ Concilii Tridentini, Illi vero ſui temporis generali clariſſimis, quia maximi Principis ille favore frueretur, hic Reipublicæ Auguſtiſſimæ conſiliarius eſſet. Atque in ſua uterque Republica longe plus polleret quam Flavius Libertus. Quod ſi quoſdam Romanæ Eccleſiæ filios multa ingenuè contra matrem ſcripſiſſe contigerit, negate deinum viros aulicos eo modo de Eccleſia cui iſti addicti fuerunt, loqui potuiſſe; ſi enim locuti eſſent, utique popularibus ſuis dediſſent pœnas. Siccine igitur iniqui eſtis Joſepho, ut ne ſemel quidem contra Judæos, aut bene de illis quos Judæi oderunt, dicere voluiſſe concedatis? Quaſi mores aulicorum vel ſemper eſſent mali, vel etiam ſcriptoribus omnem amorem adimerent veritatis.

9. Contra uſum hujus Teſtimonii quarto loco ſurgit Tanaq. Faber, aſſeritque adverſa-

Digitized by Google

sii Teſtimonium vel mendacis non eſſe recipiendum, cum Chriſtus ipſe, & Paulus Apoſtolus, Dæmoniorum Teſtimonia rejecerint, quod eorum ope non indigerent. Imo verò & adverſarii & mendacis Teſtimonium admitterem, præſertim ubi contra ſe teſtatur: maximamque veritatis inde firmatæ poteſtatem fuiſſe concluderem. Sic enim licet aliquando Chriſtus detractaverit Dæmoniorum Teſtimonium, ſed aliam prorſus ob cauſam atque eam quam aſſignat Faber, id tamen modeſtiæ indicium in magiſtro, Evangeliſtæ, ac diſcipuli gloriæ Chriſti conſulentes, noluerunt tacere; quodque Chriſtus præ modeſtiâ, vel alia de cauſa, pro tempore admittere noluit, id iſti in omne ævum prædicare voluerunt. Sed & paſſim Apoſtoli omnes, adverſariorum Teſtimonio ſeu confeſſione maxime innituntur; ſpeciatim autem Petrus, * ad ipſius Pilati judicis Teſtimonium de Jeſu Chriſti innocentiá provocat. Verum enim, Tanaq. Faber, è quo tu Rhetore hoc didiciſti, non prodeſſe adverſariorum confeſſionem: vel quomodo probas eſſe prorſus ab omni fide alienum, ut adverſarius illa, quæ contra ſe faciant & aliis proſint placeantve, fateatur? Quem tu Theologum hic produceres qui diceret, per Evangelium, aut Chriſti Apoſtolorumve exemplum, non licere

---

* Act. III. 13.

licere adverſarii confeſſionem ad veritatem ſtabiliendam advocare. Tecum certe non ſentit Irenæus cum ponat, * *Oportere veritatem ab omnibus accipere Teſtimonium, & eſſe judicium in ſalutem quidem credentium, in condemnationem autem non credentium.* Neque Novatianus qui lib. de Trinitate, *firmum* appellat, *genus probationis, quod ab adverſariis ſumitur, ut veritas ab ipſis veritatis inimicis probetur.* Cujus verba mihi, licet ſibi ignoto, ſuppeditavit J. Erneſt. Grabe, quem honoris ejus, atque grati animi ergo hîc nomino: Ad te autem T. Faber redeo. Quod enim cauſam tuam exemplo Pauli fulcire tentas, fruſtra es; neque melius Lucam intelligis quam Joſephum. Nam cum per dies pluſculos malus Dæmon Paulum & Silam ſua garrulitate, vera quidem confeſſione, ſed importuna, vexaviſſet; pertæſus ille, dæmonem non a Teſtimonio dando coercet; ſed puellam ab infeſto ſocio liberat. Neque magis prodeſt exemplum Chriſti. Non enim tum expediebat ut fama de Jeſu ſpargeretur. Ad tempus itaque tantùm vetat; alioquin omnes a prædicando Evangelio, & Chriſti miraculis fama efferendis prohiberentur; quia Chriſtus id ſemel atque iterum ex inſtituto conſiliove ſpeciali prohibuerit fieri. Si falſum eſſet hoc Teſtimonium reipſa, aut non

---

* Lib. IV. cap. 1 4.

non eſſet Joſephi genuinum, aliqua ſubeſſet ratio, cur nullus ex eo uſus eſſet futurus. Sed a vero aberrant, qui hoc aſſerunt, ut altera oratione ſum probaturus. Quid erit igitur, cur ab uſu hujus Teſtimonii deterreamur? Equidem credo, me hujus facti cauſam cognoſcere. Nam cum iſti ideo falſum eſſe hoc Teſtimonium aſſerant, atque Joſepho inſertum, ſuppoſitumque ab iis qui Chriſtianæ religioni bene vellent; vel ſaltem, ut ipſi putant, contumelioſa in Chriſtum verba ab antiquis Chriſtianis fuiſſe commutata, qui meticuloſâ quâdam feruntur pietate laboraſſe: ſic & iſti nuperi cenſores uſum præſtantiſſimi hujus Teſtimonii non magni æſtimant, licet verum eſſet, ne quis ſe haud ſatis bene velle religioni Chriſtianæ ſuſpicetur. Atque hanc ego puto veram Tanaq. Fabri fuiſſe rationem. Ferunt tamen bonos eſſe viros, qui ſic ſentiant, & optimè aliàs de religione Chriſtianâ, tum doctrinâ tum pietate meritos. At quid id meâ? itane parati ſunt ſuâ negligentiâ vel ſocordiâ veritatem prodere? certè qui partes noſtras produnt nimiâ indulgentiâ, vel non ſatis ſtrenuè defendunt cùm meliùs poſſint, ii non aliter ac hoſtes quidam ſunt habendi. Injuſtè igitur ita comparatum eſt, peſſimèque religioni Chriſtianæ conſultum, ut cum quis è viris doctis aliquid adverſariis con-

ceſſerit,

Digitized by Google

ceſſerit, id nemini poſtea liceat iis objicere. Quod ſi feceris, tum nihil eos pudet eo nomine tantum id rejicere, quod doctus aliquis è partibus noſtris conceſſerit, tanquam debile & infirmum argumentum. Quaſi id minùs nunc ſuâ naturâ ſit verum, quod quis alius olim aut nunc male defenderit. Apage igitur hanc ſocordiam & damnoſas conceſſiones, quæ nihil prodeſſe quidem, ſed multùm fidei noſtræ obeſſe quandoque poſſint.

10. Quæ cum ita ſint, quid mirum eſt, ſi denique quinto loco etiam ultrà objiciant, licet verum fuerit hoc Teſtimonium, non tanti tamen eſſe, ut quis tantoperè pro eo laboret; quia periculum eſt, ne ſi verum non fuerit, adverſarii rideant, & in malum potiùs vertatur male concinnata defenſio. Enimvero Ego illos meticuloſos valere jubeo; nam ſi rejicienda ſunt omnia illa ex adverſariorum, vel gentilium confeſſionibus deſumpta Teſtimonia, quæ pro religione noſtra in ſubſidium præter cætera poſſint advocari, quia de illis eſt quandoque dubitatum, nihil reſtabit, quo Chriſtianorum fides adverſus negantes confirmetur: de omnibus enim fere dubia ſunt mota, quæ ad religionem quidquam conferre poſſe viſa ſunt. Sibyllina, quæ Veteres Eccleſiæ Patres toties cum fructu producebant, jam vileſcunt, & tanquam tramæ putridæ ſpectantur.

Digitized by Google

tur. Tiberii præſtantiſſimum de Chriſti miraculis Teſtimonium, negat eſſe verum Faber. Acta Pilati, antiqua illa & genuina; quæ ipſi quoque Gentiles admittebant, jam fere pro falſis habentur. Sed neque pauci Epiſtolam M. Antonini intactam relinquunt. Nec deſunt, qui Luciano ſuum Philopatridem auferre vellent. Multi ea de cauſa, & fere ſola, ſi res accuratiùs introſpiciatur, Ariſteam rejiciunt, ut omnibus Eccleſiæ Patribus os ſublinant, aut ſublitum eſſe monſtrent, pariter ac Joſepho cæteriſque omnibus, qua Judæis, qua Chriſtianis Veteribus; ſicque Patrum iſtorum auctoritatem nullam eſſe probent. Alii vero etiam propiùs graſſantur; quas enim ſummâ veneratione excepit Eccleſia priſca, virorum Apoſtolicorum Epiſtolas, aut tanquam ſuppoſititias damnant, aut interpolatas cenſent: idque ea ratione, ut quæ inde contra ſe proferuntur, haud datâ aliâ contemnere poſſint. Quorſum enim hæc omnia, niſi quia velut multi ſunt, qui nollent hæc dicta fuiſſe, quæ ab Apoſtolicis viris dicta feruntur, ſic etiam plures nollent ea dixiſſe Judæos priſcos, aut profanos ſcriptores, quæ Chriſtianorum fidem firmare poſſint. Dabimusne igitur his manus, ut rejectis externis præſidiis atque teſtibus, tandem ſicubi Evangeliſtas & Apoſtolos coràm ſiſtemus, iſtos plauſibiliore

quoque

Digitized by Google

quoque prætextu reſpuant, ut minùs idoneos in ſua cauſa teſtes. Quamobrem verum eſt, quod vir doctus de horum Teſtimoniorum fortunâ optimè pronūnciavit, Chriſtianorum eſſe culpam, impunè permittentium, ut quælibet ſcripta & quælibet Teſtimonia, quibus præcipuè noſtra nititur religio, veluti ſpuria & nullius fidei, non contemnantur modò, ſed & palam explodantur, & conculcentur. Nec deſunt qui aſſerant, ea eſſe certè ſigna quædam ὀλιγοπιστίας, quæ non carent inſana impietate. Quæ cùm ita ſint, vanuſque ſit metus eorum, qui ne Teſtimonium Flavianum ſit ſuppoſititium ſuſpicantur; quid vetat, ut Teſtimonium illud contra Judæos & religionis hoſtes citari poſſit? Non rectè feciſſe eos, qui aliquem fidei articulum inde certò ſtabilire conarentur, agnoſco: & qui controverſiis finem hinc ſtatuere ſatagerent; quaſi verba Joſephi εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρὴ, Arrianorum dogmata ferirent. Neque committendum eſt, ut ſolis exterorum teſtimoniis, ut fragili & incerto nitantur fundamento, quæ nos credimus; cùm copias teſtium confertas habeamus. Sed hinc illuſtrari poſſe factorum quorundam, quibus noſtra nititur fides, & circa quæ præſertim verſatur, certitudinem contendimus. Et cum exteri nobiſcum ſimùl eant, & ad noſtram quaſi ſententiam tranſeant, multùm

id conferre ad conatus hoſtium frangendum, impudentiam & protervíam compeſcendum, erroreſque refutandum. Uſquedum igitur Judæi ſuum abjiciant Gorionidem nebulonem, & Flavium Joſephum, verè ſuum atque noſtrum, audire velint teſtantem ſat honorificè de Jeſu Chriſto; uſurpetur ſaltèm hujus Teſtimonium adverſus Atheos, cæteroſque religionis hoſtes cum fructu & emolumento; neque ſine ſummo eorum pudore, ſi tamen eos unquam contingat pudere, rejiciatur.

PARS

Digitized by Google

Pars Tertia, Lib. I.

De Conſilio Flavii Josephi in Teſtimonio conſcribendo.

1. Ventum aliquando eſt ad tertiam hujus orationis partem; in qua, ut ad ipſum Joſephum jam propiùs accedam, de ejus conſilio in Teſtimonio de Chriſto conſcribendo ſtatui perorare, ut cognoſcamus, quale fuerit ejus conſilium, eumque in ea conditione poſitum fuiſſe probem, ut de Chriſto nec aliter loqui, nec ullo modo tacere poſſet; tantum abeſt, ut quoniam Judæus eſſet, Phariſæorumque ſectæ, ut iſti volunt addictus, vel de Chriſto tacuiſſe ut plurimi, vel contra ipſum atrociter ac contumelioſè ſcripſiſſe, cum Tanaq. Fabro ſentiam. Objiciunt quidem Photii quandam regulam, quam ipſe potiſſimùm Juſto Tiberienſi, Flavii noſtri acerbiſſimo æmulo applicat, commune eſſe Hebræorum vitium, ut de Chriſti adventu aut miraculis nullam facere ſoleant mentionem; atque ideò ſuffeciſſe

ſuffeciſſe contendunt, ut Photius hoc in Juſto Tiberienſe perſtringeret, ne ſi idem apertè in Flavio faceret Chriſtianorum odia in ſe provocaret. Cum itaque Photius de Joſepho taceat, credendum eſſe Photio eam mentem fuiſſe, ut innueret, Joſephum eodem vitio laboráſſe. At vero quam iniqui hac in re ſint Photio ſupra oſtendi. Si tamen iſto Photii de Juſto Tiberienſe judicio aliquid etiam de Joſepho eſſet ſtatuendum, cùm iſte Juſtus, fuerit perpetuus Joſephi æmulus & inimicus, adeo ut in omnibus fere diſſimiles eſſent; vel hoc ſatis fuit Joſepho, ut de Chriſto ſcriberet. Neque dubito, quin cum Juſtus de Chriſto tacere voluerit, contrà Joſephus honorificam de Chriſto mentionem vel ſolo æmulationis ſtudio abreptus feciſſet, quandoquidem alius eſſet utriuſque ſcopus, nec iiſdem vel auctoribus vel amicis uterentur. Ille enim Judæos habuit benevolos, Joſephus vero potiſſimùm ac ſolis nitebatur Romanis, quorum plurimi in ipſa Domitiani Regia, & quidem præpotentes, erant Chriſtiani. Quamobrem poſſet hic quis aſſerere, Joſephum in eorum numero collocandum eſſe ſcriptorum, qui ambiguitate quadam lectores ancipites quaſi ſuſpendunt; dummodò alieni, modò rectè ſentire videntur. Quale genus hominum in aula fuit admodùm frequens, poſtea quam facti ſunt Cæſares Chriſtiani, quoſque

modò

modò Gentiles, modò vero Chriſtianos eſſe credebant. Nec defuerunt ſcriptores qui inter hos erant numerandi; qualis Procopius Hiſtoricus; & de Heſychio Mileſio, idem quoque perhibet Suidas. Alii quoque hujuſmodi fuerunt, de quibus olim, & nunc, a viris doctis ſunt dubia mota. Hoc iſti feciſſe cenſentur, tum ut ſibi Cæſarum gratiam conciliarent, tum quod de religione loqui nollent, quam ipſi quidem non amplectebantur, ſed a Cæſaribus & aliis non ſine magna veneratione erat recepta. Quam quidem fuiſſe Joſephi conditionem, quibuſdam mutatis, ſtatim comprobabo.

2. Quales ſint Judæi nunc dierum, ſatis eſt compertum: at vero ætate Joſephi quales fuerint, & ſuperiori ævo, plerique qui de hoc Teſtimonio dubitant, vel non aſſequuntur, aut ſaltem non aſſequi ſe ſimulant. Iſti tamen de veteribus Judæis ſic judicant atque pronunciant, quaſi ſatis eſſet ſibi perſpecta eorum conditio, quaſique de noſtri ævi Judæis res ageretur. Cùm tamen ex præconceptis hac ætate, aut etiam poſtquam Chriſtiani rerum ſunt potiti, opinionibus, atque propter mala quamplurima quæ ſunt paſſi, odio in Chriſtianos concepto, longe alieniores animo, & Chriſto & ejus doctrinæ facti ſint; quis non videt aliam eſſe ac diverſam utrorumque conditionem. Quapropter, cùm ſine exacta ho-

Digitized by Google

rum conſideratione fieri nequeat, ut rectè de Joſephi conſilio judicemus, hinc ordiendum eſt, ut ſatis explorata ſit priſcorum Judæorum conditio atque ſententia, quantum ſane ad Chriſtum attinet; liquidòque cognoſcatur, qualis fuerit Joſephus, tum ſuperſtite republicâ, tum etiam poſteà ſubverſâ. Quod ultimum, ut etiam plenius fiat, erit operæ pretium cognoſcere, quales quoque fuerint illi, ad quos Flavius ſcripſerit, tum & illi, quorum hortatu & auctoritate Archæologiam edidit.

3. Primores Judæorum, a Jeſu Chriſti tempore ad urbis excidium, in duo genera dividi poſſunt. Primum genus eſt eorum, qui vel cæteris hæreſibus, hoc eſt, ut plurimum reipublicæ factionibus ſtudentes, vel metu Romanorum, ne quid novi affectare ſuſpicarentur Judæos, omnes gentis ſeditiones ſtatim compeſcere cupiebant. Hi non adeò de Religione ſolliciti, quam ſuæ potentiæ ac reipublicæ ſaluti conſulentes, cùm Chriſtianos tanquam rebelles, rerumque novarum ſtudioſos, legiſque Moſaicæ ſubverſionem appetentes ſpectarent; quo jure, quaque injuriâ ſectam Chriſtianorum peſſumdare cogitabant. Tales fuerunt Sacerdotes primarii, Caiaphas, alii, & Ananus, qui Joſepho teſte, Jacobum Jeſu Chriſti fratrem curavit ſine jure perimendum. Cujus quidem facti rationem à Joſepho improbari, non minus ac bonis omnibus, ut ille videtur

Digitized by Google

videtur innuere, clarum eſt. Neque enim his tantopere legum Moſaicarum honos fuit cordi, ac ſui honores, & apud plebem exiſtimatio curæ fuit. Cùm enim plerique Sadducæorum ſectæ ſe applicarent, quos ego quandam Theiſtarum, ut nunc vocamus, ſpeciem fuiſſe ſuſpicor, quique tantummodò divina ſcripta recipiebant ſpecie tenus, ne nimis plebi forent inviſi; patet hinc Primores iſtos non tantam religionis curam habuiſſe, ac ſtudio vultuque ſimulabant. Ideoque horum ſibi mores Joſephus diſplicuiſſe profitetur. Quæ cum ita ſint, mirari ſoleo, quî factum eſt, ut quiſquam Flavium Joſephum de incredulitate erga Moſis miracula accuſare ſuſtinuerit. Cùm Joſephus à Sadducæorum commercio & ſententia abſtineret, qui Moſis ſcripta & auctoritatem propemodùm pernegarent. Cùm itaque in hoc genere non ſit cenſendus Flavius, videamus in qua potius claſſe ſit collocandus.

4. Erat igitur alterum genus eorum, qui cum bonâ fide Moſaicam religionem admitterent & amplecterentur, ideoque Meſſiam expectarent, tanquam ſpem Iſraelis optimam atque firmiſſimam, corde atque animo reverâ, quæ alii ſimulatè tantùm, recipiebant. Hi de providentiâ divinâ, ejuſque promiſſis in Vatum commentariis contentis, bene ſentientes, non credebant fore, ut Deus quamvis perniciosam ſectam contra populum ſuum valitu-

tam eſſe pateretur. De conſilii ac cauſæ bonitate ex ſolo ferè ſucceſſu, hoc eſt aperto Dei auxilio judicantes. Qui contrà, ſi malus eſſet, tum etiam malam cauſam putabant malumque conſilium; præcipuè vero in negotio de adventu Meſſiæ, ex quorundam malo fato veriſſimillimum judicium conſecuti. In eorum ego numero pono Nicodemum, deinde & Gamalielem illum, Pauli Apoſtoli præceptorem, virum apud ſuos magnæ æſtimationis, neç minoris potentiæ & auctoritatis. Quem virum, ſi fatis urbis ſuperfuiſſe contigiſſet, atque videre, quanto in honore & exiſtimatione jam tum Chriſti nomen ætate Domitiani erat, Dei beneficio Apoſtolorum prædicationi faventis; non dubito quin optimè de Chriſto, ac ejus religione ſentientem audiviſſemus. Nam id probum eſſe ſentiebat, cui Deum reperiſſet ſecundum. Hunc cùm Joſephus impenſè laudet; credendum eſt, ei hujus rationem, vitæ modum, ſententiamque placuiſſe. Quamobrem ego puto, Joſephum ſtante republica, in horum numero fore collocandum. An vero neceſſe ſit, ut qui de Chriſto bene ſentiunt, ſtatim etiam fiant Chriſtiani, atque rejiciant legem cæremoniaſque Moſaicas, alia res eſt. Cùm multi tanquam prophetam Chriſtum reciperent, qui tamen ut cæremonias relinquerent Moſaicas, nondum adduci poſſent. Cujus rei præſtantiſſimum & indubitatum habe-

mus

Digitized by Google

mus exemplum in Johanne Baptiſta. Quem quidem omnes ut vatem agnoſcebant, licet ejus conſilium de vita novè inſtituenda, & recipiendo Meſſia, nondum probarent. Idem quoq; plurimis, Jeſum vatem maximum eſſe putantibus, contigit. Quem licet agnoſcerent, non tamen ejus ſectæ dabant operam. Ejus quidem doctrinam, ut bonam ac præclaram, atque tanquam legis Moſaicæ quandam adjectionem, ſpectabant: quam tamen recipere, abjecta Moſaica inſtitutione, non fuerit neceſſarium, ſed cuique liberum vel amplecti, vel in medio relinquere. Denique, eſſe inſtar earum inſtitutionum, quas nonnullæ Judæorum ſectæ ſequebantur: quaſque liberi erat arbitrii cuilibet vel probare, vel repudiare: Quod autem Joſephus, ſæpiùs ſectas Judæorum enumerans, non ponat Chriſtianos, id eâ factum eſt de cauſa, quia Chriſtiani plurimi eſſent ex Gentibus profanis. Noluit itaque inter ſectas Judaicas cenſere Chriſtianos, quod ſecta eorum non eſſet Judæorum propria, ſed etiam communis gentium. Atque in ea acerbiſſima fiſci Judaici exactione, de qua infra dicam, Chriſtianos Judæis accenſere tantundem eſſet ac ſi ad fiſcum Flavius detuliſſet. Eſt autem Joſepho cautio, ne quid invidiæ plenum ſcribat. Ad Judæorum Primores redeo. Minùs illud quod dixi mirum videri debet de illis, qui exciſæ Urbi, Temploque

Digitized by Google

diruto ſupervioventes, non parùm adducerentur, ut ampliùs de Chriſti religione conſulerent. Quanquam autem non omnes adeò lumine divino illuſtrarentur, ut plena fide Chriſtum agnoſcerent: eouſque tamen afficiebantur, ut ſaltem de Chriſto bene ſentirent; fierentque quaſi ſemichriſtiani; cum admodùm eſſet arduum, totum ſemel & ſimul exuere Judaiſmum. Neque vetus hoc aut nimis rarum eſt exemplum, cùm & noſtra ætate, patrumque noſtrorum memoria, multi fuerint, qui cum ſuam religionem apertè colerent, ad alienam tamen aliquantum fuerint proniores: neque tamen eoùſque, ut pro iſta alteram illam & avitam relinquerent. Hi igitur cùm ſcribant, ſoliti ſunt hac de cauſa alteram non ſine honoris cujuſdam præfatione ac nota nuncupare.

§. 5. Reſtat ut examinemus, utrum necne ea fuerit Joſephi conditio, ut in horum numero, rectè ponendus eſſe videatur? quod ut ritè procedat, eſt altiùs nobis Flavii Joſephi vita repetenda. Fuit autem Joſephus Matthiæ ſacerdotis filius, ex Ephemeria prima, ipſe ſacerdos, natus anno Caii Cæſaris primo. Cum annum ætatis decimum & quartum egiſſet, tantos in diſciplinis Judaicis progreſſus fecerat, ut tùm etiam laudem maximæ in legibus peritiæ à Primoribus urbis obtineret. Hic cum ſectarum ſuæ gentis Philoſophicarum ratio-

nem

Digitized by Google

nem tentare vellet, Bano Eſſeno per triennium dedit operam; ſed annum agens decimum nonum, cum videret Phariſæos in Republica plurimum poſſe, ad hos ſe appulit. At verò cùm etiam poſteà, natus annos ſex ſupra viginti, Felice procurante proficiſſeretur Romam, ut quoſdam ſacerdotes in carcere detentos liberaret; in itinere ſubmerſa nave in medio Adrio totam noctem pernatavit, ubi tribus aut non multò plus annis Paulus Apoſtolus eandem fracta nave fortunam expertus eſt. Re feliciter peracta, & ad priſtinum cum Phariſæis commercium reverſus, cùm vir rebus gerendis idoneus videretur, præfectus eſt Galilææ, virilem ætatem, hoc eſt Annum trigeſimum adeptus. Ibi Veſpaſiano bellum Judæis inferente, expugnatiſque Jotapatis, in manus victoris captus adducitur. Sed Ulyſſeâ propemodum verſutiâ uſus, imperiumque Veſpaſiano pollicitus, manumittitur; & in honore ſummo apud Veſpaſianum habetur. Hinc illi Flavii nomen eſt impoſitum. Miſſus eſt ab iſto cum Tito filio ad urbis Hieroſolymæ obſidionem, ſæpe vitæ periculum adiit, Judæis eum ut deſertorem capere maxime cupientibus, ut extremo ſupplicio afficerent. Ipſiſque Romanis quoties aliqua clades eis accideret, id Joſephi proditioni imputantibus, Titoque continenter acclamantibus, ut tolleret proditorem. Urbe Temploque captis ac di-

 rutis,

rutis, agro in Judæa à Victore donatur; deinde Romam perductus, civitate. Quem tantis honoribus excepit Veſpaſianus, ut etiam ſuarum ædium, quæ ſibi privato civi propriæ fuerant, participaret. Honorem & emolumenta à Patre Veſpaſiano conceſſa Joſepho, Titus filius continuavit; auxit etiam Domitianus. Quæ munera ut olim per Poppæam negotium de ſacerdotibus liberandis confecerat, ſic etiam nunc per Domitiæ gratiam ſibi ſervavit. In quo patet ejus ſapientia ſeu verſutia, ut fœminas ad ſuum commodum flecteret; cujus ipſe meminiſſe non veretur. Anno Domitiani decimo tertio, ætatis ſuæ ſexto ſupra quinquageſimum, Archæologiam Judaicam, quam ei fuerat auctor Epaphroditus ut ordiretur ac ſcriberet, feliciter abſolvit, & Epaphrodito dicavit; mox etiam librum de vita ſua.

6. Videamus jam & altera parte, qualis fuerit conditio eorum, ad quos ſcripſit, quorumque potiſſimùm hortatu, & gratia, Archæologiam ſuam edidit. De ipſo Domitiano primùm verba faciam. Hunc infenſiſſimum Chriſtianorum hoſtem fuiſſe tradunt multi: idque avidè ab adverſariis noſtris arripitur. Si generis humani dixiſſent, aliqua ineſſet ratio. Sed eum * Henricus Dodwellus, vir celeberrimus,

* Diſſert. Cyprian. XI. §. 16.

Digitized by Google

rimus, hoc crimine partim abſolvit. Perſecutio quæ ab eo fuit commota, adeo brevis fuit, ut vix unum annum impleverit. Nam ſtatim extinctum tradit Lactantius. Cœpta demum eſt, cum annos fere quindecim imperium tenuiſſet, hoc eſt, juxta clariſſ. Dodwelli rationes, A. C. XCV. quo tempore Flavia Domitilla in exilium eſt relegata. Poſtea vero ſuum impetum ipſe Domitianus repreſſit, exulesque revocavit. Eum ſtupendo miraculo Johannis, in oleum conjecti, ſalvique prodeuntis deterritum, in innocentes ſævire deſiiſſe idem ſuſpicatur. Sed quid nos his movemur? cùm ſatis conſtet anno ejus decimo tertio, quo ſcribere ceſſavit Joſephus, abſolutâ Archæologiâ, Domitianum nondum cœpiſſe perſequi Chriſtianos. In Davidicam ſobolem, hoc eſt Chriſti cognatos, inquirere voluit; ſed pauperes compertos contemſit, & edictum adverſus Chriſtianos abrogavit. Cùm itaque Domitiani odium in Chriſtianos, perfectâ Archæologiâ, nondum flagraret; ideoque vanus ſit metus eorum, qui Joſephum pro Chriſtianis bene locutum negent, quòd ſibi à Domitiano metueret: videndum eſt, an magis æquus aut mitior in Judæos fuerit, ut hac de cauſa iſte ſe Judæum profiteri maluerit; tantoque magis in Jeſum ſævire maledictis. At verò teſtis eſt Suetonius, præſtantiſſimus hoc imperante,

perante, * *Præter cæteros Judaicum fiſcum acerbiſſimè actum eſſe: ad quem deferebantur, qui velut profeſſi, Judaicam intra urbem viverent vitam, vel diſſimulata origine, impoſita genti tributa non pependiſſent. Interfuiſſe adoleſcentulum* ſe *meminit* idem, *cum a procuratore, frequentiſſimo conſilio inſpiceretur nonagenarius ſenex, an circumſectus eſſet.* Quam *fiſci Judaici calumniam ſublatam S. C.* Nerva Imperante demum refert Dio. Agnoſco, Joſephum à Domitiano ἀτέλειαν, ut ipſe refert, obtinuiſſe. Sed licet res ita ſe haberet erga Joſephum, cur jam ſopitum ſibi leonem ſuſcitaret Joſephus, nimia vel intempeſtiva, & pertinace religionis ſuæ confeſſione, cum alienæ exprobratione, quam ipſius fortaſſe amici coferent? nam uſquedum in Chriſtianos ſæviret Domitianus, plena erant omnia, Chriſtianorum apertè religionem ſuam profitentium. Ipſi Cæſaris cognati ſua Chriſto nomina dederant; adeo, ut religio Chriſtiana in maxima tùm auctoritate fuiſſe videatur.

7. Quæ cùm ita ſint, duo hîc Teſtimonii Flaviani inimicos rogâſſe vellem. Primum eſt, cur Joſephus hoc taceret, quod cæteri Judæi olim & nunc quoque palam confitentur? de præcipuis rebus quæ in hoc Teſtimonio continentur, intelligo. Tria enim in iſto continentur:

---

* Sueton. Domit. Sect. 12.

Digitized by Google

nentur: Jeſum miracula feciſſe, fuiſſe Chriſtum, reſurrexiſſe è mortuis poſtquam paſſus eſt ſub Pontio Pilato. Jeſum Chriſtum feciſſe miracula, Judæi fatentur: nam cùm aiunt, eum miracula feciſſe læva manû, fatentur tamen. De fine ac modo miraculorum tùm enim ſola lis erit. Deinde, Chriſtum fuiſſe qualem qualem agnoſcunt, atque gentibus idoneum profitentur Licet autem ſibi alium Chriſtum expectent, habemus tamen (verè) confitentes adverſarios, & noſtrum Chriſtum vaticiniis divinis quadam ex parte reſpondiſſe. Tum denique negant quidem Chriſtum reſurrexiſſe, ſed neque hoc clarè aſſerit Joſephus, ſed ait eum apparuiſſe ſuis diſcipulis. Sic illi affirmant; penes eos fides eſto. At verò cum necdum ceſſaviſſet vis Apoſtolorum mirifica, quid vetat ut Joſephus his credidiſſe cenſeatur, licet non eouſque progrederetur, ut palàm quoque penituſque fidem noſtram amplecteretur. Ego ſane ſemper exiſtimavi, Joſephum ſemichriſtianum eſſe potuiſſe. Cùm autem ipſi adverſarii quandoque concedant, Joſephum non valde res Judæorum curaviſſe; cur ergo illum alibi prædicant in religione ſua fuiſſe tam pertinacem; aut etiam adeò ferocem & iniquum in noſtram, ut odio noſtri, & amore ſuorum, malè de noſtra loqueretur, etſi ſciret ſibi capiendos fore inimicos homines, potentes, cognatos Cæſaris. Sed de his plura

inferiùs

Digitized by Google

inferiùs, ne ſi omnia hîc prius occupem, ſequentia nimis ſicca videantur.

8. At verò, cum & nonnulli ſic fere crepent, Joſephum ad Gentiles in Archæologia ſcripſiſſe: ideoque ſummo ſtudio caviſſe, nequid minùs credibile diceret; quo factum eſt, ut de Veteris Teſtamenti miraculis loquens, ſæpe quaſdam excuſationes miſceat, quaſi neque ipſe fidem his haberet, aut timeret, ne fides ſuis dictis apud gentiles deeſſet. ὁ Ἰώσηπος καὶ δεδοικότι ἔοικε, καὶ διʼ εὐλαβουμένῳ, ὡς μὴ περισκρύσειεν ἕλλησι, inquit Philoſtorgius in * Suidæ collectaneis. Eum igitur qui ſic cautè agat, non decere illis ſe intermiſcere narrationibus, quas nec ipſe crederet, nec lectores eſſe credituros putaret. Hos itaque qui ſic cogitant ſecundo loco rogatos velim, cur Joſephus ea Græcis dicere veretur quæ ipſi de aliis non minus fidem omnem ſpuerantibus crederent? cur chriſtum extitiſſe dubitarent, de quo Pilatus ad Tiberium Cæſarem, Cæſar vero pleno in ſenatu, de collocando inter Deos, ipſe retuliſſet? An miracula feciſſe negarent, quæ neque Celſus, neque Porphyrius, neque Julianus ipſe Cæſar, multis pòſt annis negare potuerunt? Et recens erat tum memoria prodigiorum ab Apoſtolis editorum, quæ fidem Chriſti miraculis aſtruerent, quorum in Annalibus

* Voc. φλέγων.

nalibus ſuis mentionem fecerat Phlegon, Hadriani Libertus, teſte † Origene. Ipſi vero Gentiles ſcriptores, de miraculorum patratoribus ad nauſeam uſque narrationes oggerunt. An negarent de Chriſto loqui potuiſſe Vates, quod ipſi de Veſpaſiano verum eſſe dicebant; ad quem, Joſephum fortaſſe ſecuti, vaticinia de Rege venturo referre ſolebant? *Percrebuerat*, inquit || Suetonius, *oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe infatis, ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano quantum eventu poſtea prædictum patuit, Judæi ad ſe trahentes rebellârunt.* Hunc etiam refert idem morbos quoque ſanaviſſe. An denique Chriſti reſurrectionem, ex Apoſtolorum fide recitatam, ablegarent Gentiles, qui de ſimilibus factis, multa in ſuis ſcriptoribus legerant? hujuſmodi enim narrationes exhibent Herodotus, Plato, Valerius Maximus, Plutarchus, Plinius, Diogenes Laertius, Galenus, denique Theodoſius Macrobius. Sed & Domitiano Imperante, fertur Apollonius Tyanæus elatam ad funus puellam ad vitam, in ipſa quoque urbe, revocâſſe. Si itaque Gentiles hoc de Chriſto Teſtimonium culpare voluiſſent, utpote minus veriſimile; ſane id tum feciſſet Joſephus, quod & alibi feciſſe reperitur, cum tranſitum Hebræorum per

† Lib. II. contr. Celſ. || Sueton Veſpaſ. Sect. 4.

Digitized by Google

per mare Erythræum expeditioni Alexandri M. per Pelagus Pamphylium ſimilem facit. Eos enim, qui ſibi hanc narrationem de Chriſto ex fide Apoſtolorum vitio verterent, tunc etiam ad ſuas Hiſtorias amandâſſet. Nequis autem vim hujus argumenti, quod partim Joſephi auctoritate & exemplo comprobavi, eludere conetur, aut minùs validum eſſe ſentiat, adjiciam quoque Origenis ſententiam, qua poſſit in tuto ſatis collocari. Nam cùm Celſus Judæum introduxiſſet de Chriſti reſurrectione dubitantem, reſpondet Origenes, inconſideratè hoc eſſe factum ab eo, quaſi res eſſet impoſſibilis è mortuis aliquem cum eodem, quod prius habebat, corpore reſurgere: hancque addit rationem; * οὐκ ἂν γὰρ εἶπεν ὁ Ἰουδαῖος ταῦτα, πιστεύων τοῖς ἐν τῇ τρίτῃ τῶν Βασιλειῶν ἀναγεγραμμένοις, καὶ τῇ τετάρτῃ περὶ παιδαρίων. ὧν τὸ μὲν ἕτερον Ἠλίας ἀνέστησεν, τὸ δὲ λοιπὸν ὁ Ἐλισσαῖος. διὰ τοῦτο δ' οἶμαι καὶ τὸν Ἰησοῦν οὐκ ἄλλῳ ἔθνει ἐπιδεδημηκέναι, τοῖς ἔθεσι γενομένοις πρὸς τὰ παράδοξα τῇ παραθέσει τῶν πεπιστευμένων πρὸς τὰ ὑπ' αὐτοῦ γινόμενα καὶ περὶ αὐτοῦ ἱστορούμενα, ὅπως παραδέξωνται, ὅτι οὗτος, περὶ ὃν γέγονε μείζονα, καὶ ὑφ' οὗ ἐπιτελέσθη παραδοξότερα, πάντων ἐκείνων μείζων ἦν. Hoc ratiocinium, ut de Judæis veriſſimum, ſic etiam, licet renitente Origene, gentilibus qui multa fidem ſuperantia admittebant,

* Origen. c. Celſum, Lib. II. pag. 95.

tebant, ut ſupra oſtendi, aptiſſimè poteſt applicari. Joſephus igitur, neque quoniam Judæus eſſet, neque quia ad gentiles ſcriberet, quidquam debuit metuere, ne ſibi vitio verteretur, ſi quædam de Jeſu Chriſto vel mirabilia, vel cum nonnulla honoris præfatione, aut veritatis confeſſione literis mandaret. Præcipuè verò cùm neque tunc pertinax Judaiſmi confeſſio, aut contra Chriſtianos defenſio cum provocatione ac jurgio, quicquam proficeret; neque quemquam offenderet confeſſio veritatis: ſatiſque proni eſſent Gentiles ad audiendum cum voluptate illa de Chriſto mirabilia, modeſtè tamen narrata, æquè ac illa quæ Joſephus de Moſaicis, aliiſque narrationibus mirabilibus in ſua ſcripta retuliſſet. Nam pauci erant ſcientiæ cupidi, qui non etiam tunc ſcire cuperent, quis aut qualis eſſet Chriſtus ille, de quo tam late nomen eſſet cum laude celebratum: *cum* etiam, ut ait * Cicero, *fictas fabulas è quibus utilitas nulla duci poteſt, cum voluptate legerent.*

8. Porrò quoniam jactare ſolent, adulandi cauſa Joſephum ea, quæ de Chriſto prædixerint vates, Veſpaſiano tribuiſſe, cum libros de Bello judaico conſcriberet, adeoque vix eſſe veriſimile, eum poſtea cùm Archæologiam ederet, mutaviſſe ſententiam: erit operæ fortaſſe

* De finibus Bon. & Malor. Lib. V.

Digitized by Google

taſſe pretium ſi perpendamus, annon etiam adulandi gratia, ea quæ de Chriſto in Archæologia ſunt ſcripta, literis mandaverit. Primùm enim omnium ſatis conſtat, Epaphrodito auctore & impulſore, Flavium noſtrum ad gentis ſuæ Hiſtoriam literis tradendam edendamque ſe appuliſſe. Hunc ipſe Flavius in procemio aſſerit doctum fuiſſe virum, tùm omne genus diſciplinarum, tùm etiam rerum geſtarum ſcientiæ imprimis avidum, ut qui ipſe in maximis negotiis, variiſque fortunæ caſibus verſatus, in omnibus eximiam indolem præ ſe tuliſſet. Iſtum verò Epaphroditum, Neronis Libertum fuiſſe docet † Tacitus, eumque || Suidas σωματοφύλακα, ſed rectiùs fortaſſe *a libellis* Neroni & poſteà Domitiano fuiſſe ſcripſit * Suetonius; à quo etiam capitali pœnâ damnatus eſt, atque Dione teſte necatus. Cujus necis cauſâ factam eſſe conjurationem idem tradidit. Licet Suetonius ob necem Flavii Clementis, maturatum fuiſſe Domitiano exitium aſſerat. Fortaſſe utrumque verum eſt. Et ut morte conjuncti ſunt, ſic etiam in vita erant amicitiâ & neceſſitudine vincti. Hunc igitur Epaphroditum conſtat in aula Imperatorum, non ſine magna omnium exiſtimatione ad extremum Domitiani annum com-

* Tacit. Annal. Lib. XV. p. 259.
† Neron. Sect. 49. & Domit. Sect. 14.
|| Vo. Επίκτητος.

commoratum, a quo propter ſuſpiciones leviſſimas, ut erat omnium ſuſpicioſus Domitianus, utque ſuos ab audacia ſimili deterreret, (ferebatur enim Epaphroditus Neroni manus intuliſſe) eſt interemptus. Joſepho fuerat auctor uti dixi Epaphroditus, Archæologiam edendi; ea autem eſt edita duobus aut circiter annis, antequam tolleretur Epaphroditus, hoc eſt anno XIII. Domitiani.

9. Erit autem videndum, annon hic Epaphroditus ſit ille, de quo Paulus Apoſtolus aliquoties in Epiſtolis ſuis meminit, quique Paulo in vinculis ſuis multa ſigna ac notas benevolentiæ præſtitit. Hunc ſane eundem fuiſſe cum illo Neronis Liberto, ſuſpicatus ſum; quoniam utriuſque conditio & tempus maximè conveniunt. Atque hujus meæ ſuſpicionis aliquot indicia & argumenta, quæ hoc admodum eſſe probabile oſtenderent, habebam. * Paulus enim in Epiſtola quá de Epaphrodito loquitur, etiam innuit in aula Neronis, aut ſi malis, in ipſa familia fuiſſe plurimos Chriſtianos. Epaphroditum vero illo tempore ſervili fuiſſe conditione probant, tum quod Paulus aſſerit, † eum in vincula fuiſſe conjectum, & συναιχμάλωτον, tum quod fuit Phryx, ejuſque nomen decurtatum ſervili modo proferatur. Præter hæc, ubi Paulus

* Philip. I. 13. & IV. 22. † Philem. v. 23.

hujus nomen decurtatum per Ἐπαφρᾶν extulit, || ibi quidam Codices Orationum Johannis Chryſoſtomi legunt Ἐπαφρόδιτον. Hinc quoque rectè conjiciemus, Ἐπαφρόδιτον atque Ἐπαφρᾶν unum eſſe nomen, ut voluit H. Grotius, qui etiam oſtendit, iſthæc nomina contracta eſſe è longioribus. Iſte autem Epaphroditus, primò quidem Neronis ſervus, ac poſtea libertus, in Cæſarum familia perſtitit, donec jubente Domitiano plecteretur. Sic itaque & nomen & conditio, atque etiam fortaſſe patria, utriuſque fortunæque, non minùs ac tempora congruunt, ut eundem eſſe ſuſpicemur.

10. Poſteaquam hæc omnia è mera ſuſpicione ac conjecturâ orta, ſic tamen congruentia reperiſſem: commodùm affuit * Abrahami Berkelii plena affirmatio, quæ animum meum ſtatim explevit: hunc Epaphroditum, libertum quidem Neronis, Epicteti vero Philoſophi herum, eſſe proculdubio recenſendum inter illos Chriſtianos, in ipſa Neronis familia degentes, & eſſe ipſum qui Paulo vincto, etiam lubens, nec advocatus, aſtiterit: atque propter eum, hoc eſt Chriſti nomen, fuerit carceri mancipatus. Nam quod ait Paulus eum eſſe παραβολευσάμενον τῇ ψυχῇ, † hæc verba non ſunt ita intelligenda ut vulgò ſolent, quaſi Epaphro-

|| Coloſſ. IV. 12. * Præfat. in Epicteti Enchirid. † Philip. II. 30.

Epaphroditus in morbum incidens de vita ſit periclitatus; cum & illud ἀσθενεῖν, quod ibidem quoque uſurpatur, ſit *pati perſecutionem*, ut obſervavit aliud agens * Johannes Chryſoſtomus: ſed eum tam audacter coram Nerone Pauli cauſam egiſſe, ut ipſe truderetur in Carcerem. Ideoque, ut in codice Puteani vertitur teſte † Caſaubono, *Parabolanus fuit de anima ſua.* Nihil enim obſtat quod || alii teſtantur ibi legi, *Parabolatus fuit de anima ſua*; * alii denique, *Parabolatus eſt animam ſuam*; quæ eodem ſpectant. Nam Parabolani non ſunt qui morbo ægrotant, ſed qui ſponte ſuâ vitæ diſcrimen ineunt, ut aliis opitulentur. Quo ſenſu etiam Joſephus uſurpat vocem παραβαλλόμενος maximè propriè, ut omnia, in libro de vita ſua, † ἐκεῖνα δὲ παραβαλλόμενος χρήσασθαί τι καὶ τόλμῃ. Cui ſuffragantur Grammatici. Ex iſto Epaphrodito, Chriſtiano ut videtur, vel etiam ex Paulo ipſo Apoſtolo, quo cum conſueverat Epaphroditus, eorumque colloquiis de fide Chriſtiana, fortaſſe etiam & commentariis, ſua omnia vult ac conjicit Epictetum hauſiſſe Berkelius, quæ doctrinam redoleant Chriſtianam. Epictetus enim ſervus quoque fuit Epaphroditi, Neronis liberti, & συνδημότης illius quem laudat

I 2 Paulus;

* Orat. XXV. in II. ad Corinth. † Epiſt. CCCCXXXVIII. || Joh. Crojus in obſ. ad N. T. p. 118. * Hugo Grotius. † pag. 1010.

Paulus; uterque Phryx, Epictetus Hierapoli, Epaphroditus Coloſſis, prope Laodiceam atque Hierapolin oriundi. Phryges verò atque Aſiatici Romæ plerumque ſervi, ut tum penè proverbio ſit notum, quod uſurpat Cicero, † *Phrygem plagis fieri ſolere meliorem*, & * alibi apud eundem legimus, *Venales Aſiaticos*. Quod verò dicatur Epaphroditus in Epiſtola Pauli, Apoſtolus ſeu Nuncius Philippenſium, id de illo ſic exponendum eſt, qui Paulo horum nomine pecuniam numerari curaverit. Nec obſtat, quod de illo Paulus loquatur, quaſi in poteſtate ſua quodammodo fuiſſet, non autem Heri; ut ejus miniſterio Paulus uti poſſet; nondum enim ad id fortunæ culmen quo poſt illa pervenerat. Et cum primam Neronis iram atque ferociam evitâſſet, liberum ei erat quamvis legationem aut negotium ſubire. Licet ſubiiſſe non conſtet, ſed forſan Romæ manſit, atque Nerone uſus eſt multò quam anteà mitiore.

11. Huic igitur Epaphrodito quod eſſet Chriſtianus blandire cupiens Joſephus, hoc de Chriſto Teſtimonium & potuit, & voluit ſuæ Hiſtoriæ interſerere. Id enim aulicorum eſt ingenium, neceſſitaſque eos premit, ut multa ad aliorum mentem cogantur, vel dictis vel ſcriptis, quanquam non averſo animo, ſæpe tamen

---

† Orat. pro Flacco. * In Verr. V.

Digitized by Google

tamen præter animi ſui ſententiam, perſequi. Eam autem eſſe aulicorum in his rebus conditionem, quotidie videmus; ac niſi videremus, vel ex iſto Epaphrodito facile poſſemus aſſequi: cujus vitæ ratione cognitâ, cum neceſſariorum, & eâdem fortunâ utentium ſimul, unum plerumque aut ſimile ſit ſtudium, ſimiliſque ſententia, de Joſephi quoque ſententiâ poterimus judicare. Quamobrem uſus erit, ut hic apponamus quæ ex ore Epicteti decerpta narrat Arrianus, de Epaphrodito iſto Epicteti Hero. Sic autem ille in || diſſertatione de modo quo tractandi aut colendi ſunt Tyranni. Εἶχέ τινα Ἐπαφρόδιτος σκυτέα, ὃν διὰ τὸ ἄχρηστον εἶναι ἐπώλησεν. εἶτα ἐκεῖνος κατ᾽ τινα δαίμονα ἀγορασθεὶς ὑπό τινος τῶν Καισαριανῶν, τοῦ Καίσαρος σκυτὺς ἐγένετο. εἶδες ἄν, πῶς αὐτὸν ἐτίμα ὁ Ἐπαφρόδιτος. τί πράσσει Φηλικίων ὁ ἀγαθὸς, φιλῶ σε. εἶτα εἴτις ἡμῶν ἐπύθετο, τί ποιεῖ αὐτὸς; ἐλέγετο, ὅτι μετὰ Φηλικίωνος βουλεύεται περί τινος. Ergo cum Joſephus hunc Epaphroditum Chriſtianum coleret, oportet etiam, ut de Chriſto bene ſit locutus. Non ſatis erat tunc Domitiani gratiam captare, niſi Epaphrodito, qui erat à Libellis, etiam adularetur. Ea enim eſt aulicorum conditio, ut idem obſervat Arrianus, non ſolum ut Tyrannos colere debeant, ſed & eorum cubicularios. Quapropter

|| Arrian. Epict. Libr. I. cap. 19.

Digitized by Google

licet *Domitianus* non eſſet Chriſtianus; neque ideò *fuerit opus* Joſepho ut de Chriſto loqueretur *honorificè*; cùm tamen Epaphroditus *Flavii amicus* eſſet, atque Chriſtianus, nolentem eum ac quaſi invitum adduxiſſet ut ſcriberet. Neque hic obſtaret quidquam impenſus amor religionis Judaicæ, quem tamen alibi negant in Joſepho fuiſſe.

12. Nequis autem putet me hæc omnia eo fine tantummodo excogitâſſe, ut hoc Teſtimonium defenderem; neque quidquam ineſſe huic argumento virtutis aut roboris, ut aliquis mutaviſſe putetur ſententiam pro variâ fortunâ, vel prout cum variis fuerit verſatus, quorum opinionibus ac conſiliis ipſe loquens aut ſcribens, ſua quoque verba accommodaverit, atque ſententias; producam aliud exemplum in D. Hieronymo, viro magno, & ut ita dicam, in ſuo genere Joſepho pari, cuique propter opiniones ſingulariter admiſſas graviſſima fuerunt cum multis Eccleſiæ Patribus jurgia. Hunc autem, qua ego ratione Joſephum explicare, quo modo Judæus cùm eſſet, honorificè tamen de Chriſto ſit locutus; eadem quoque tum defendere, tum etiam frequentiores ejus de auctoritate, ac inſpiratione interpretum LXXII. contradictiones explicare conatur Arnoldus Bootius, acerrimus Hieronymi contra Morinum & Capellum defenſor. Verba ejus quæ totum hoc negotium mirificè illu-

ſtrant

Digitized by Google

ſtrant hæc ſunt; * *Nihil igitur mirum, quum adeo immani ob novam ſuam tranſlationem flagraret invidia Hieronymus, ſi ad illam amoliendum aliquid interdum locutus eſt, contra quam ipſe ſentiret. Sed & cum amicis ſuis ſic agere ſolebat, ut quoties in eos incideret, qui iſta de* θεοπνευστία τῶν *LXXII. opinione erant penitùs imbuti, affectibus ipſorum verba ſua accommodaret, quo faciliùs eos corrigeret, atque veritati recipiendæ aptiores experiretur. Faciliùs enim credebant, ſolo veritatis amore illum nova moliri, atque a veteri verſione diſcedere, de cujus auctoribus ipſe tam honorificè ſentiret.* Habemus itaque Hieronymum, non minùs ac Flavium noſtrum verſipellem, & pro temporum vel hominum ratione mutantem; ideoque alterum in verbis ac ſententiis Theramenem. Nequis hoc novum eſſe in noſtro Flavio crediderit aut ſingulare.

13. Verùm enim, ut tandem huic orationi aliquem modum ac finem ſtatuam, licèt Epaphroditus iſte non fuerit Chriſtianus, quod tamen ego veriſſimum eſſe credo, verum tamen Chriſtiana erat Flavia Domitilla, tunc temporis, cùm ſcriberet Flavius Joſephus, & poſteà ob Chriſti confeſſionem in Pontiam inſulam relegata. Erat etiam Chriſtianus T. Flavius Clemens, Conſul, interfectus ob impietatem,

 ut

* Vindic, pro Heb. veritat. cap. XI. p. 109.

Digitized by Google

ut ferunt, hoc eſt, Chriſti fidem. Quem Domitianus tamen, quo ſcribebat tempore Joſephus, impenſè amabat; cujuſque filios etiam tum parvulos ſucceſſores palam deſtinaverat. Hunc cùm Suetonius *contemptiſſimæ inertiæ* fuiſſe dicat, ego de ſummo Chriſtianæ religionis ſtudio intelligo; quam qui tunc colebant, hujus quaſi vitæ contemptu, plerumque ferè rem publicam negligebant. Hoc Suetonius *inertiam* vocat. Iſtos Flavios coluiſſe noſtrum, & magis etiam fortaſſe quam ipſum Domitianum, immanem atque intractabilem belluam, nullus dubito: ideoque voluiſſe coràm in os lædere, malè de Chriſto dicendo, aut animo malevolo tacendo, nunquam adducar ut credam. Certè, Joſephum magis eſt probabile Flaviis iſtis familiariter uſum eſſe, ac Epaphrodito, quam ipſo Cæſare. Quapropter ipſis potiùs adulatum eſſe conſtat. Joſephus nemini non blandiebatur, qui aliquid apud Domitianum polleret; cum etiam de Domitiæ Longinæ, licet hujus uxoris, probri tamen plenæ, gratiâ gloriaretur. ἡ δὲ τοῦ Καίσαρος γυνὴ Δομετία οὐ διετέλησεν εὐεργετῆσαί με, inquit ille Libro de Vita ſua extremo. Aliorum igitur Flaviorum, Cæſariſque cognatorum gratiam neglexiſſe, non eſt veriſimile. Quam ſi minimè neglexerit, ſed omni conamine tentaverit conſequi, non ſolum à maledicendo de Chriſto abſtinuit, ſed neque quidem tace-

re

re potuit. Non enim mihi videtur, Joſepho de Chriſto tacere fuiſſe liberum arbitrium. Neque hic quidquam Juſti Tiberienſis exemplum valet. Aliud erat in ſcribendo Juſti, qui de Chriſto tacuiſſe fertur, propoſitum; aliud Flavii Joſephi. * Ille enim eo fine Hiſtoriam ſcripſit, ut veritati fucum faceret, cum eſſet vir malus, & Judæus Zelota, hoc eſt religioni ſuæ addictiſſimus, Romanorum ac Chriſtianorum oſor. Huic vero ſola veritas erat cordi, quam ubique ſe cupere aſſequi profitetur, quantum poſſit; etiam ubi contra ſe ſtet, nec tam religioni ſuæ addictum ſe oſtendit, quin multa in ſe admittere deprehendatur ſui prepoſiti gratiâ, quæ non ſatis congruere cum illo judaico Zelo atque ſuperſtitione videantur. Cum itaque & rei veritas, & amicorum gratia, Joſephum ad benè de Chriſto ſentiendum, benè etiam atque honorificè ſcribendum hortarentur; quid nos miramur, illum de Chriſto Jeſu hoc Teſtimonium ſcribere voluiſſe, aut etiam potuiſſe pernegamus?

14. Hactenus de conſilio Flavii Joſephi, cum Archæologiam ſcriberet, egimus; quò manifeſtum fiat, eum voluiſſe ac debuiſſe de Chriſto loqui. Nunc tandem ex ejus conſilio, atque Hiſtorias deſcribendi modo, cognoſcite eſſe impoſſibile, ut quis totam hanc de

---

* Joſeph. de vita ſua pag. 1001.

de Chriſto periocham Archæologiæ interpolaret. Hoc ſi fecero ut cognoſcatis, quid reſtat, niſi ut uno ore ſimul omnes hoc Teſtimonium tanquam veriſſimum excipiamus. Satis enim conſtat, facilius eſſe integrum aliquem tractatum, aut librum alicui ſupponere, quam verum inſigni aliqua parte aut lacinia interpolare. Illud enim ut rectè fiat, nihil opus eſt, niſi ut quis, quod voluerit ſcribat, nomenque quod placuerit ſupponat. Deinde ſi temporum rationem accuratè obſervaverit; vel etiam ſcriptoris, ſi qua ſint ejus alia ſcripta, ſtylum, & orationis colorem fuerit imitatus, omnia rectè ſe habebunt, & latebit dolus: fortaſſe tamen latebit; multa enim ſunt non expectata quæ fraudem ſubolere faciant: Ut verò quis in verum cujuſdam ſcriptoris librum aliquid novum infarciat, ei opus eſt atque neceſſarium, ut omnes per orbem hujuſce libri codices ſcriptos immutet; aut ſaltem, ut codices ad pauciſſimos redactos in ſua poteſtate habeat immutandos, aut ſupprimendos, illis editis qui fœtum ſuppoſitum geſtent. Hoc niſi fecerit, non eſt quod ſperet diù fraudem ſuam latere poſſe, cum adhuc ſuperſint alii codices, quorum collatione fraus detecta citiùs apparebit. Hac enim comparatione, non ſolùm interpolata patent, ſed & omiſſa reſarciuntur, & incautè ſine dolo malo intruſa rejiciuntur. Videndum eſt itaque, an Joſephus

non

Digitized by Google

non curaverit, ut multa fuerint ſuorum ſcriptorum exemplaria; quod ut aſſeram facit, quod libro de vita ſua ſcripſit de ſuo more libros in publicum edendi. Ut ut enim hoc eſt de libris Belli Judaici dictum, nihil tamen obſtat, quin eum quoque morem atque inſtitutum in aliis ſervaverit. Ait enim ſe libros Veſpaſiano atque Tito obtuliſſe, quos Titus, manu ſua ſubſcriptos, in Bibliotheca publicari juſſerit. Deinde & aliis quampluribus, Regique Agrippæ eam Hiſtoriam communicâſſe. Hunc morem ſi in aliis quoque ſcriptis ſervaverit, eumque ſervâſſe nullus dubito; atque ut vidimus, ducentis poſt ejus ætatem annis horum exemplaria ubique proſtarent diſperſa, neque minima pars in manus gentilium perveniſſet, quorum cauſâ eos edidit: quî fieri poſſit, ut aliquis Chriſtianus, eos inſigni hac periochâ augeret; quam quidem exhibuiſſe omnes olim codices ſuprà compertum eſt? Concoquant ſane iſtam fabam adverſarii, & quibus dura eſt ingluvies: mihi longè ſatius eſt, nunquam iſtam in me admittere ſtultitiam, quam miſſis ambagibus verum eſſe hoc Joſephi Teſtimonium confiteri.

PRO

Digitized by Google

PRO TESTIMONIO FLAVII JOSEPHI DE JESU CHRISTO.

LIBER SECUNDUS.

De ſtylo ac vero ſenſu Teſtimonii FLAVIANI.

1. NEminem jam latet, quantum hæc quæſtio per omne genus hominum celebretur; quorum ut vidimus plurimi locum eſſe ſpurium contendunt. Hi labaſcenti opem veritati ſe conferre credunt, licèt aliquantum ab argumentis, quibus fulcitur fides Chriſtiana auferre videantur. Ut autem Flavio Joſepho hanc

Digitized by Google

hanc extorqueant periocham, multa commiſcuntur etiam extrinſecus producta, quæ ut ab illis gratis atque leviter ſunt aſſumpta, facile quoque ut incerta refelluntur. Fundamentum vero incœpti, ad quod tanquam ad ſacram anchoram nuperi cenſores Teſtimonii confugiunt, præcipuum eſt ſtylus dictionis: quem ut a partibus ſuis ſtare putant, ita κϱιτήϱιον in his rebus eſſe certiſſimum exiſtimant. Lubens hunc judicem accipio, eâ viciſſim lege, ut ſi à noſtris ſtet partibus, tum protinùs & hoc Teſtimonium ferè amiſſum recuperetur; & ad priſtinas ſedes, quas ei Joſephus in Archæologia deſtinaverat, in omne ævum ſine ulla dubitatione retineatur. Primùm autem erit operæ pretium exquirere, quomodo hîc ſe expediant, ut ſtylum eſſe ſpurium, ac proinde totam ῥῆσιν eſſe ſuppoſititiam comprobent. Primus aut ſaltem præcipuus adverſarius, qui de ſtylo Teſtimonii hujuſce ſic judicavit, quemque ſine ullo examine cæteri poſteà ſunt ſecuti, is eſt Tanaq. Faber, qui edito ſuper hac re libello, omnem lapidem adverſus hoc Teſtimonium movit; de ſtylo vero ſic decernit potiùs quam argumentatur. *ſtylus verò*, inquit, * *ſtylus certiſſimum in his rebus κϱιτήϱιον, quam apertè, ſi nihil aliud adjumenti haberemus, rem ipſam proderet!*

Nemini

* Tan. Faber. Lib. I. Epiſt. XLIV.

Digitized by Google

Nemini profectò homini unquam minus cum altero convenit, quam Joſepho *ſecum, ſi hæc* Joſephi *ſunt. Ut frigidus! ut laxus! hæret, ſudat, balbutit,* neque proficit hilum. *Malè profectò de poſteris judicavit, quiſquis hanc næniam tam probo ſcriptori affinxit, credidit que, fore neminem a quo doli tam male conſuti explicarentur: ſaltem id accuratè decuerat præſtari: nam ut ait Comicus,* Aliter catuli longe olent, aliter ſues. *Is quippe ſcriptor eſt* Joſephus, *qui nihil remiſſè, nihil ignavè facere ſoleat: quod hic contra fit.* Mox infit: *quod nunc nobis præ manibus eſt, inerter ac putidè compoſitum.* Hucuſque ille, ſatis quidem pro imperio. Nam ut hoc confirmet leviculas affert rationes; & cum rationum pondere careat, nec veritate ſit adjutus, in quaſdam exclamatiunculas divertitur, quæ vices rationum ſuppleant.

2. Mihi vero longè alia eſt ſententia. Aſſero enim filiam nunquam meliùs formâ ſuâ matrem referre, aut germanos fratres eſſe ſimiliores, quam hæc periocha ſit cæteris Joſephi ſcriptis ſtylo & dicendi genere ſimilis. Nam & verba, & phraſes, & λέξεως χρῶτα ſi ſpectes & invicem contuleris, ut purpura ad purpuram collata, ſic & iſta ſe mutuò illuſtrabunt, atque genuina oſtendent. Verum tamen antequam de periochæ ſtylo ſpeciatim tractare incipiam, aliquid generatim de ſtylo Joſephi præmonendum, in rem noſtram fore duximus.

Digitized by Google

duximus. Licet autem paſſim ac promiſcuè voces iſtas, nempe ſtylum, ac dicendi characterem,& genus uſurpaverim; ſtylus tamen propriè à dicendi genere diſtinguendus eſt; ut aliud ſit ſtylus, aliud dicendi genus; cum per varia dicendi genera ſtylus idem manere poſſit, & genus dicendi ſit fere rei proprium, ſtylus vero ſcribentis. Nam dicendi genus circa ſermonis quantitatem, ſtylus circa qualitatem verſatur. Dicendi genus non modo ſententiarum & verborum pondus atque delectum ſpectat, ſed etiam ſenſum. At vero ſtylus de ſenſu parum ſollicitus, in ſola verborum & phraſium electione verſatur: quæ phraſium aut verborum electio cuilibet auctori ſive caſu, ſive potius ſtudio & exercitatione frequentiùs uſurpatorum, in oratione characterem aut colorem inducit, quem ſtylum docti ſoleant nuncupare. Adeſt etiam quædam ſermonis formatio & circumſcriptio, hoc eſt verborum nominumque, una cum particularum orationis certa diſpoſitione, eodem modo & ordine ſubinde quaſi familiariter recurrentium, unumque totius orationis ſonum, ut loquitur Cicero, efficientium, quem non ſolent alii obſervare: quique æquè varius eſt ac ſint hominum ingenia, ſtudiorumque rationes. Hinc fit ut ne quidem eidem homini conſtans ſit ſemper ſtylus, mutatis rerum, temporum, vel ſtudiorum rationibus. Nam licèt dicendi genus

ſit

Digitized by Google

ſit vel tenue, vel mediocre, vel uber & magnificum, quæ ſunt tria dicendi genera ab auctòribus uſurpari ſolita; etſi quoque verba & phraſes quædam ſint propriæ cuique generi deligendæ, nullus tamen erit ſtylus manifeſtus, niſi eaſdem phraſes & verba atque verborum phraſiumque formationes ſæpius occurrentes reperiamus. Nunc vero iſthæc omnia Joſephus qua tractet arte videamus. Is autem Joſephus eſt ſcriptor, qui politè atque ornatè loquitur, & græcarum literarum eſt peritiſſimus; ut nequeam eorum accedere ſententiæ, qui eum judicant more Helleniſtarum perorare; ſiquidem eos Helleniſtas velint eſſe Judæos, qui non græcam phraſin, ſed idiomate hebræo corruptam uſurpabant. Joſephus enim prorſus græcè loquitur, ut nequidem meliùs, ut mea fert opinio, quiſquam ſcribere poſſit.

3. Quod ad ejus igitur ſtylum ſpectat, hoc eſt phraſium verborumque ſæpiùs uſurpatorum delectum, ut in dicendi genere, ſic quoque in ſtylo varius eſt. Nam in libro de Maccabæis, ut paſſim in orationibus, & in quibuſdam narrationibus, eſt ſublimis atque magnificus. In aliis vero in mediocrem dicendi rationem quandoque delabitur; in tenuem rariùs aut nunquam; adeo, ut quod illi à quibuſdam eſt attributum, græcorum Livius nuncupari jure mereatur. Quoad ſtylum verò, ut multa ſcripſit, ita quoque varius eſt; licet

non

Digitized by Google

non ſit admodum varietas iſta manifeſta. Factum eſt tamen ut in quibuſdam libris quibuſdam utatur phraſibus, quas in aliis negligit. Hinc eſt, ut iſta diligenter excutienti comparuerit, alium eſſe ſtylum librorum de Bello Judaico à libris Archæologiæ, alium eſſe ſtylum quoque librorum contra Appionem, aliumque prorſus orationis de Maccabæis. Quodque non leviter eſt obſervandum, alius eſt ſtylus librorum Archæologiæ Judaicæ priorum, alius vero poſteriorum: hoc eſt, verba quædam atque locutiones in poſterioribus frequentiùs comparentes, rariùs in prioribus adhibentur. Quinetiam ſæpe factum eſt, ut quibuſdam libris quaſdam interponat phraſes, quæ nuſquam alibi obſervari potuerunt. Si qua tamen eſt in ejus ſtylo differentia, ea talis eſt, ut ſaltem ab eodem producta videatur: neque major eſt ac ſint inter fratres geminos, aut iiſdem prognatos parentibus oris forma & differentia. Quorum ne fides dictis deſit, in ſequentibus aliquot exempla ſubjeci; cum plura poſſem ſi tanti eſſet; utque omnem cavillandi anſam præriperem, ſi contigiſſet, quod tamen in hac periocha factum fuiſſe nego, ut in hac Joſephus à cæteris ejus ſcriptis & oratione diverteretur. Tantum enim abeſt ut hoc illi contigerit, ut contrarium potius appareat. Quò proxima ſunt alia ſcripta, eò quoque periochæ ſimillima.

Digitized by Google

4. Horum autem cauſas indagare, quemadmodum non inutile forſan erit; ita nec ab inſtituto noſtro alienum. Quoniam multum interſit ea ſummâ conquirere diligentiâ, quæ vel nebulonis impoſturam, ſi qua ſit impoſtura, vel ipſius ſcriptoris indolem atque ingenium illuſtrare poſſint. Primùm enim & locus, & tempus, & lectio varia, aliquid in ſermone ſolent innovare. Deinde poteſt etiam Hiſtoriæ ſcriptoris ſtylum mutare, non modò rerum & materiæ differentia, ſed & ſtylus moduſque dicendi, quibus uſi ſunt auctores illi, quorum ſubſidio ſuam recentior comparaverit. Denique nonnihil huc confert, correctorum amicorumque ſedulus labor & ingenium, qui ſi plures, aut vario tempore varii fuerint, prout cuique ſua magis placent; ſic quoque nonnihil à ſe invicem immutari neceſſe eſt ea, quæ judicio ſint ſubmiſſa variorum.

5. Quæ quidem omnia in Flavio Joſepho concurrunt, variæ lectionis ſtudiorumque viro, variiſque ſi quis alius fulto præſidiis, ſcriptorumque monumentis. Siquidem ea quæ ſcripſit in libris de Archæologia non modò ſua non ſunt, ſed è peregrinâ quoque linguâ converſa. Hebræi priorum materiam ſuppeditârunt, Græci vero poſteriorum. Sed Hiſtoriam de Bello Judaico ipſe compoſuit. Hinc & illa fortaſſe à cæteris aliquantùm differt. Porrò etiam, non omnia ſunt eodem ſcripta

tempore,

Digitized by Google

tempore, neque iiſdem elaborata ſubſidiis. Varios denique correctores advocaviſſe certum eſt, quippe quod illud de ſe contra Appionem ſcribendo, jactans ut puto, profiteatur. Ait enim libro primo, *χρησάμενος τισὶ πρὸς τὴν ἑλληνίδα φωνὴν συνεργοῖς, οὕτως ἐποιησάμην τῶν πράξεων τὴν παράδοσιν.* Quod ſi iſtos *τοὺς συνεργοὺς*, non correctores voces, ſed adjutores, jam mirum non eſſet, etſi major cerneretur in ſtylo differentia, quam ſit ea quam nunc in ejus ſcriptis videmus.

6. Eum igitur, qui aliquâ periochâ Joſephi libros ſuffarcire voluerit, horum omnium non ſolùm fuiſſe acutiſſimum indagatorem, & obſervatorem diligentiſſimum, *ſed etiam omnino memorem.* Quæ cum ita ſint, periocham noſtram à nemine interpolatam fuiſſe hinc concludo; nam hiſce omnibus ſpectatis, ea cum cæteris Joſephi ſcriptis accuratè convenit: proximis locis eſt ſimillima, nec eſt aliena à remotioribus. Stultè tamen aiunt hanc impoſturam fuiſſe conſarcinatam, licet Euſebium Pamphili, virum maximum auctorem habuerit. Ego vero ſic ſentio; ſi hæc ſit dolo conficta, & Joſepho conſuta, aſſero, eum mirabili quadam arte uſum eſſe, qui adeò dolum ſuum aſtu coluerit, ut quod longè poſt Joſephi ætatem texturæ conſutum volunt, potiùs unà cum ſubtemine contextum exiſtimem. Ideoque periocha iſta non alium quam Joſe-

Digitized by Google

phum auctorem habere potuit; quia ſi fuiſſet inſerta, fraus illa tam diù latere non potuiſſet.

7. Quoniam autem illi ad ſtylum, certiſſimum indicium, provocant, accipio conditionem; & viciſſim rogo, ut poſtpoſito partium ſtudio, ipſi non teſtentur de ſtylo, qui partes accuſatoris occupant. Ne quod olim ſunt profeſſi, inviti negare recuſent. Ipſe de ſuo det teſtimonium opere Joſephus. Eum ego & ſolum dabo teſtem ampliſſimum, & omni exceptione majorem. Hunc ſi teſtem admittant, nullius ego judicium vel arbitrium detrectabo. Iſtam enim periocham, quam fœtum eſſe Joſephi negant, ipſe ſi reviviſceret Joſephus proculdubiò ut ſuam agnoſceret. Quippe quod formam oriſque characterem, quem Joſephus indidit, non magis immutatum eſſe ſcio longo temporis intervallo, quam ſint cætera, quæ ab ipſo vel ab aliis ejuſdem ætatis ſunt auctoribus producta. Ejus formam qualis nunc eſt edita, qualemque ſum defendere paratus, ut lectoris memoriam refricem, hîc exhibebo. *Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνὴρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή. ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητὴς, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων, καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἑλληνικοὺς ἐπηγάγετο. ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν. καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν, σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου, οὐκ ἐπαύσαντο οἵγε πρῶτον ἀγαπήσαντες. ἔφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν*

πάλιν

Digitized by Google

πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτα καὶ ἄλλα μύρια θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων. εἴς τε νῦν, τῶν χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων, οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον.

8. Hæc ſunt verba quæ tam malè agitant quoſdam viros, doctos quidem, ſed nimis faſtidioſos. Primùm autem quæritur an debito hæc ſtent loco? Sunt qui hoc negent. Aiunt enim hæc debuiſſe ad finem capitis quinti rejici: quæ cum alieno ſint loco poſita, & ſcriptoris orationem abrumpant, pro ſuppoſititiis ſunt habenda; ipſe enim Joſephus non huc illa intruſiſſet. Sed hoc commentum facile diluitur. Nam cùm Chriſtus ſit paſſus ſub Pilato, cùmque rebus Pilati geſtis caput quartum & quintum Joſephus tribuerit, ſi ad finem capitis quinti Teſtimonium de Chriſto fuiſſet intruſum, neceſſe eſſet Chriſti paſſionem ad annum Pilati nonum vel etiam decimum referre: qui tamen multò ante paſſus eſt. Inſtant, divelli hìc duas narrationes calamitatum quas paſſi ſint Judæi; At quid hoc quæſo ad rem? An etiam non ſatis dividuntur Hiſtoriæ illæ duarum calamitatum, longâ illâ narratione de Paulinâ Romanâ, & Decio Mundo, quæ nihil facit ad res Judaicas. Et illa erat pari rejicienda ratione. Quippe quod cùm iſto de Chriſto Teſtimonio ſexies ſit amplior, longè magis divellit Hiſtoriæ ſeriem. Sed lepida illa narratio, ne quid pejus dicam,

 melius

melius quorundam ſapit palato quàm luculentum de Chriſto Teſtimonium. Verùm enim ut uno jam verbo hoc abſolvam, hiſce duobus capitibus non exactam rerum ſeriem complectitur, ſed tres aut quatuor mirabiles eventus, nulla ſibi invicem præterquam temporis ratione connexos ſimul refert. Et admodùm jejuna videtur narratio eorum, quæ ſub Pilato geſta ſunt, quod utique vel deficiente rerum geſtarum copiâ accidit, aut commentariorum defectu. Neque tamen hæ duæ calamitates adeo ſibi invicem ſunt connexæ, quin ſeptem, aut etiam octo, inter primam & alteram anni ſint elapſi. Non malè itaque rejicitur hoc Chriſti Teſtimonium medio temporis intervallo, cùm Chriſtus in cruce fuiſſe paſſus inter utramque videatur. Omnia igitur hîc rectè ſe habent.

9. Sunt, qui hæc objeciſſe non contenti, etiam ampliùs addant, atque ſe maximè in hoc argumento efferant, ſibi videri hanc periocham poſt abſolutam demum Hiſtoriam & orationem huic loco fuiſſe inſertam. Quoniam apertum ſit eam filum orationis interſecare. Siquis vero reſpondeat, ab ipſo Joſepho inſeri potuiſſe: tum inſtant & acriùs urgent, hoc reſponſum ſuppoſitionis inſimulare totam periocham, cùm vel ab alio pariter ac Joſepho potuerit interpolari; eſſe autem veriſimilius ab alio eſſe interpolatam. Ego verò non ſic reſpondeo. Neque licet concederem, hanc

Digitized by Google

hanc periocham filum orationis interrumpere, ideò tamen & ſtatim cenſerem quod periocha fuiſſet interpolata; cùm non neceſſe ſit, ut auctor Hiſtoriæ eo ordine ſemper ſcribat, quo res rem quaſi protrudat, & geſta ſibi invicem haud interrupta connexione vinciantur. Thucydides ſanè cujus laus in Hiſtoria ferè ſupra omnes reliquos effertur, hanc ob rem à * Dionyſio Halicarnaſſenſi ἀσαφὴς καὶ δυσπαρακολούθητος nuncupatur. Nam ut ejus rationem, quæ ſane præclara eſt atque huic loco aptiſſima, apponam, πολλῶν κατὰ τὸ αὐτὸ θέρος ἢ χειμῶνα γινομένων ἐν διαφόροις ὡς εἰκὸς τόποις, ἡμιτελεῖς τὰς πρώτας πράξεις καταλιπὼν, ἑτέρων ἅπτεται τῶν κατὰ τὸ αὐτὸ θέρος ἢ χειμῶνα γινομένων. πλανώμεθα δὴ, καθάπερ εἰκὸς καὶ δυσκόλως τοῖς δηλουμένοις παρακολουθοῦμεν ταραττομένης τῆς διανοίας. Dicit frequentiùs interrumpi rerum narrationem, quo factum eſt, ut lectores mente jam turbata, ſummâ cum difficultate res expoſitas conſequantur. Quid mirum igitur ſi perturbentur iſti, hac de Chriſto in Flavio digreſſione quod orationis nexum quodammodo ſecare videatur. Quam ergo duri in Flavium ſunt cenſores, ut quod Thucydides frequentiùs commiſit crimen, ejus ne ſemel quidem Joſepho gratiam faciant,

* Epiſt. ad Pomp.

10. Reponent fortaſſe, Thucydidem eſſe horridiorem & στόμφακα, incultum porrò atque negligentem. Hunc non ſequi Joſephum, utpote qui ſit terſus, politus, perſpicuus, ut tanquam limpidum flumen ejus effluat dictio: denique ſequi potius Herodotum quam Thucydidem. Quaſi verò Herodotus non ſuas quoque habeat digreſſiones? Photium igitur audiant, cujus iſti tantoperè & ſolâ ferè commoveri auctoritate videantur. Verba ejus hæc ſunt, *κέχρηται δὲ μυθολογίαις καὶ παρεκβάσεσι πολλαῖς, δι' ὧν αὐτῷ ἡ κατὰ διάνοιαν γλυκύτης διαρρεῖ, εἰ καὶ πρὸς τὴν τῆς ἱστορίας κατάληψιν, καὶ τὸν οἰκεῖον αὐτῆς καὶ κατάλληλον τύπον, ἐνίοτε ταῦτα ἐπισκοτεῖ, οὐκ ἐθελούσης τῆς ἀληθείας μύθοις αὐτῆς ἀμαυροῦσθαι τὴν ἀκρίβειαν, οὐδὲ πλέον τοῦ προσήκοντος ἀποπλανᾶσθαι ταῖς παρεκβάσεσι.* Hic itaque crebris utitur digreſſionibus quæ quandoque obſcuritatem pariant, & accuratam in veritate ſubtilitatem obfuſcent, cùm non liceat nimiùm à re propoſita ſcriptorem digredi. At vero quidni ſemel iterumque liceret. Alibi Photius Cteſiam cum Herodoto conferens, ait, hunc *πρὸς ἐκτροπάς τινας ἀκαίρους ἀπάγειν τὸν λόγον.* Sunt itaque in Herodoti ipſius ſcriptis diverticula quædam, quæ cenſoribus importuna videantur. An itaque φορτικοί non ſunt illi & nimis acres cenſores, qui unam hanc ut iſti putant digreſſionem importunam eſſe nimis cenſeant. Verum tamen magis ipſi importuni, qui hac

ſola

Digitized by Google

ſolâ freti ratione hanc periocham ab aliena manu judicent eſſe inſertam & interpolatam. Præſertim cum nulla intercedat ratio, vel norma ac ſcribendi conſuetudo, quæ non ſinat ſcribentes quandoque digreſſionibus ſecedere: à quibus diverti ſoleant & orationis nexum interciſum arripere, præmiſſis formulis ut ſequentia ad ſuperiora, tum quidem intermiſſa, referantur. * Obſervavit Iſaacus Caſaubonus, eſſe Hiſtoriarum principibus in more poſitum, variis obſervationibus, quas græci ἐπιςάσεις melius appellant, ſuas narrationes ornare. Quamobrem dum varia conjungunt, ea minus concinnè lectori inter ſe cohærere videntur. Et maxime id fieri amat, ſi quando memorabile quidpiam ſubindicare volunt; tunc enim ſermonem aliqua ex parte quaſi abrumpere neceſſum eſt. Iſtæ autem digreſſiones cùm ornent ſimul & onerent orationem, non idcirco tamen dicuntur contaminare, licet interpolare videantur. Nam cum digreſſionibus peractis ad conſequentia dilabantur, voces quaſdam præmittunt, quæ ſatis oſtendant, narrationem abruptam hîc repeti; quaſi ſimul dicant, interjectorum non habendam eſſe rationem.

11. Eſto tamen non licere hoc aliis, quod tamen licere omnibus eſt probatum; at vero hic

---

* Ad Annal. Bar. Exercit XIII. Sect. 63.

Digitized by Google

hic ſane mos erat Joſephi; tales enim digreſſiones, quas ἐπεισόδια ille ſupra nuncupat, Photius vero παρεκβάσεις & ἐκτροπὰς ἀκαίρους, quandoque ſunt ab ipſo Joſephò uſurpatæ. Legantur modò quæ libri quinti capitibus decimo, undecimoque referuntur. In his enim poſt longas digreſſiones & quidem numero plures, nulloque alio nexu niſi tempore conjunctas, atque finitæ anteà de bello quodam narrationi ſubjectas, ſequitur alia de ſimili bello narratio, quam hujuſmodi quoque qualem in Teſtimonio & poſt Teſtimonium reperimus, eſt formulâ conſecutus. Nam cùm dixiſſet capitis decimi initio, Palæſtinos ab Iſraelitis exegiſſe tributum, è qua ſervitute Samſon illos tandem recuperavit, cujus vitam & geſta Joſephus digreſſione longiuſcula perſequitur; deinde etiam capitis undecimi principio, poſt hujus necem rebus Hebræorum Elim Pontificem præfuiſſe monuiſſet: atque iterum in longiſſimam de Rutha digreſſionem eſſet collapſus, quæ nihil cum rebus Samſonis aut Palæſtinorum communis haberet; ad aliud bellum enarrandum, cumque Palæſtinis confectum revertitur, quaſi prioris partem ſecundam, de quo ſic præfatur, Ἑβραίων δὲ τῶν πραγμάτων αὐτοῖς ὑστερενεχθέντων πάλιν πόλεμον ἐκφέρουσι παλαιστινοῖς. Ipſorum jam cenſorum liberum eſto judicium vel arbitrium, an illa formula, πάλιν πόλεμον ἐκφέρουσι, qua bellum iſtud

ſecundum

ſecundum cum illo ſuperiore conjungitur, non prorſus ſit ſimilis illi, quam, abſoluto per digreſſionem breviſſimam de Chriſto Teſtimonio ſubjicit, καὶ ὑπὸ τοὺς αὐτοὺς χρόνους ἕτερόν τι δεινὸν ἐθορύβει τοὺς ἰουδαίους, ut hanc narrationem ad illam priorem, quæ de ſeditione ſub Pilato tractabat, referre videatur. Sanè prorſus ſunt ſimiles; ideòque ſe mutuò firmant, ut ne quidem aptior defenſio quam ex ipſo Joſepho poſſit adhiberi.

12. Poſſem hîc aliam eamque ſimillimam ex Joſephi Archæologia digreſſionem producere, ubi ſcilicet de Johanne Baptiſta loquitur; ſed cum ea in dubium quoque revocetur, licet non ſine ſumma injuria, hîc omittere malo. Sed & plures hujuſmodi digreſſiones, ſimili quoque formulâ exceptæ, quæ ſequentia ad antecedentia referant, in ipſa ſcriptura ſacra reperiuntur. Conſulantur ſi placet, quæ Judicum Hiſtoriæ Cap. XIII. 1. extant, atque cum illis quæ Cap. X. 5. legimus conferantur. Quod cum factum fuerit, rogabo, cur non intermedia iſta tanquam ſuppoſita & intruſa confodiuntur? Prætereà, neque nos fortaſſe rectè legimus, neque adverſarii ſatis intelligunt Flavii mentem. Nam quid ſi non γίνεται γὰρ ſed γίνεται δὴ ut in codice Cæſareo legamus? Quomodo etiam hanc particulam uſurpavit Michael Glycas, ubi de hoc Teſtimonio loquitur, τότε δὴ τότε Φίλων

ὁ σοφὸς

Digitized by Google

ὁ σοφὸς καὶ Ἰώσηπος ἤκμαζον. Cum vero δὴ latinè ſonet *etiam*, tantum abeſt ut narrationem divellat hoc Teſtimonium, ut admiſſa hac particula, potius conjungere videatur. Sed levia ſunt iſta, ut & adverſariorum rationes, tametſi hanc ſcripturam non admittamus. Quorſus igitur hîc nobis negotium faceſſunt, quaſi novum hoc eſſet ac inſolitum, aut ſaltem tanti, ut propter has leviuſculas & inanes rationes præſtantiſſimum hoc Teſtimonium, per tot ſæcula in Eccleſia Chriſtiana celebratum, ſit nunc tandem è ſede ſua propter quorundam lubidinem rejiciendum.

13. Neſcio certè, an hîc producere debeam Johannis Clopenburgii de ſuppoſitione hujus periochæ ſuſpicionem; quoniam quo prodiit tempore à Ludovico Capello, viro clariſſimo, eſt optimè ſolidèque refutata, licet Capellus non aliàs huic periochæ eſſet ſatis amicus. Nequid vero negligere videar quod ad rem faciat, pauca utrinque ſum excerpturus. Ait autem Cloppenburgius, voluiſſe Joſephum parallelismo Paulinæ, ſua opinione à Deo, reverà à Decio Mundo impregnatæ, aut ſtupratæ, ridere fidem Chriſtianam de conceptione Jeſu Chriſti, & nativitate ex Virgine per operationem ſpiritus ſancti. Propter quam blaſphemiam, ita ſuſpicatur, à Chriſtiano aliquo caſtigatum & caſtratum fuiſſe eo loco Joſephum, ut jam illa pericha ſit ἀσυνάρτητος. Huic

igitur

igitur reſpondet Capellus, Joſephum hanc præmiſiſſe de Paulina narrationem, poſteriori calamitati, quatuor millium Judæorum, in Sardiniam pulſorum, ob inſignem impoſtoris Judæi, religione ſui Templi dolo malo abutentis fraudem. Nequis autem Romanus impoſturam illam Judæis per convicium in os objiceret, præmittere voluiſſe aliam longè graviorem Equitis Romani religione ſacrorum Templi Iſidis ad turpiſſimum facinus abutentis; ut ſiquis vellet Judæis impoſturæ crimen objicere, illic in promptu haberent reſponſionem paratam. Hæc enim inter ſe argumenti ſimilitudine atque affinitate cohærent, adeoque apertè à Joſepho in Hiſtoriæ ſuæ narratione non ſine ſtudio connectuntur. In utroque facto impoſtura eſt hominum, religione ſuâ turpiter abutentium, & utrobique Saturninus eſt tum Paulinæ, tum Fulviæ maritus. Quam quidem viri docti rationem nemo non probabit, qui obſervaverit, quanto cum ſtudio Joſephus ſategerit, ne illam de Fulvia per Judæos decepta narrationem exordiretur, priuſquam hanc de Paulina per ſacerdotes Iſiacos conſtuprata præmitteret, ea de cauſa quam Capellus attulit. Sed & ipſe narrationis ordo ſatis oſtendit, iſtas narrationes ſe mutuò reſpicere. Ex quibus videre licet, Flavium noſtrum in omnibus ſemper gentis ſuæ honori conſulere.

14. Tran-

Digitized by Google

14. Tranſeamus tandem, his de recta Teſtimonii poſitione præmiſſis, ad ipſum Teſtimonium, quod cum aliis Joſephi verbis ac phraſibus ſimillimis componere ſtatuimus: ut inde eluceſcat, quam genuinus ſit Joſephi fœtus, ſuiſque fratribus ſimillimus. Hoc autem fiet, totam ſedulò percurrendo periocham, ſingulaque verba atque phraſes cum paribus comparando verbis ac phraſibus, phraſiumque circumſcriptionibus, in quibus ſtyli conſiſtit ratio & orationis character.

I. ΓΙ΄ΝΕΤΑΙ. In ſtylo dignoſcendo duo ſunt obſervanda, frequens uſus vocum atque phraſium modorumque loquendi, & ſimilis vocum poſitio ſeu ſtructura. Utrumque, ut rectè principium ponamus, de hac voce probandum eſt. Etenim non inſolitum Joſepho, ſicubi filo orationis abrupto, in aliam rerum ſeriem tranſit, hoc verbum præponere. Sic enim libro Archæologiæ XVIII. cap. 12. cum ſuperiore capite de imagine Caii Cæſaris in Templo Hieroſolymæ ſtatuenda differuiſſet, ad res Babylonicas converſus his exorditur verbis, * Γίνεται δὲ περὶ τοὺς ἐν τῇ μεσοποταμίᾳ καὶ μάλιστα τὴν βαβυλωνίαν οἰκοῦντας Ἰουδαίους, συμφορὰ δεινή. Sic libr. XX. cap. 2. † Γίνεται δὲ πρᾶξις αὐτῶν καταφωρος τοῖς ὑπηκόοις. Unum tantum addam ex eodem libro cap. 6. || Γίνεται δὲ καὶ τὴν καισάρειαν

* pag. 644. C. † pag. 688. B. || pag. 695. G.

Digitized by Google

καταιρέσιαν οἰκούντων Ἰουδαίων, στάσεις τρεῖς τὰς ἐν αὐτῇ μοίρας. Confer Lib. I. cap. 3. Archæologiæ pag. 6. D. & cap. 16. pag. 24. F. Lib. XX. cap. 5. pag. 691. E. & de Bello Jud. Lib. I. cap. 1. pag. 709. G. Et cap. 4. pag. 715. E. & Lib. IV. cap. 15. pag. 876. B. & iterum Archæologiæ Lib. III. cap. 6. pag. 82. F. & cap. 8. pag. 84. B. Quinetiam dignum eſt obſervatu, Joſepho eſſe ferè ſolenne verbum, quod vocant principale, in ſententia ſtatim à principio ponere; quippe quod verbum ſic poſitum, tanquam fundamentum, vim ac pondus addat orationi.

II. ΚΑΤΑ' ΤΟΥ'ΤΟΝ ΤΟ'Ν ΧΡΟ'ΝΟΝ. Hæc eſt formula quâ connectuntur ſequentia cum ſuperioribus, non tam naturali nexu quam tempore ſimul exiſtentia. In prioribus autem Archæologiæ libris aliquantum ſtylum variat, ſed ſine inſigni differentia. Lib. VI. cap. 14. [a] κατὰ δὲ τοῦτον τὸν καιρὸν ἀκούσας Δαβίδης. Ibidem mox, [b] ἀποθνήσκει δὲ κατ᾽ αὐτὸν καιρὸν καὶ Σαμουῆλος ὁ προφήτης. Et lib. VIII. cap. 2. paulo aliter, [c] κατ᾽ ἐκεῖνον δὲ τὸν καιρόν. Dixerat paulò antè eodem capite, ὑπερῆρε δὲ καὶ διήνεγκε σοφίᾳ καὶ τῶν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν δόξαν ἐχόντων παρὰ τοῖς Ἑβραίοις ἐπὶ δεινότητι. Plura ſunt in eodem capite exempla pag. 271. A. & pag. 274. A. & lib. IX. cap. 1. pag. 300. B. & cap. 2. pag. 321. A.

τῶν

[a] pag. 197. G. [b] pag. 200. B. [c] pag. 273. E.

Digitized by Google

λῶ δέ τις κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν προφήτης νόμιμος τοῦ νόμου. At vero quo propiùs accedit ad *periocham*, eò ſtylum quoque propiùs aſſimi-*lat*; nam Lib. XIII. cap. 9. eaſdem uſurpat voces, aitque, [d] κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον. A quo non multum diſtat, quod lib. XIV. cap. 27. [e] reperitur: ὑπὸ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον Ἀντώνιος μὲν ἐτελεύτα ἐν Ἀθήναις. Nec multum ab iſta formula quod eſt Lib. XIII. cap. 21. [f] κατὰ τοῦτον δὲ τὸν χρόνον. Sed & Lib. XVI. cap. 16. [g] habemus, κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἤκουλος ἀπὸ Καππαδοκίας πρεσβεύοντος παρὰ ἀρχελάου. Lib. XVII. cap. 1. [h] Ἡρώδῃ δὲ τῷ βασιλεῖ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον συνῴκουν ἐννέα γυναῖκες. Nec deſunt plures ejuſmodi formulæ eodem quo hæc periocha continetur libro XVIII. cap. 3. [i] τελευτᾷ δὲ καὶ Φραάτης ὁ παρθυαίων βασιλεὺς κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον. Et eodem quo periocha capite; quæ verba periocham ſequuntur, [k] καὶ ὑπὸ τοὺς αὐτοὺς χρόνους. Mox etiam legas, [l] τῶν ἐν Ῥώμῃ Ἰουδαίοις κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον συντυχόντων. Libro etiam proximo, hoc eſt XIX. cap. 2. iſtud occurrit exemplum, [m] στασιάζεται δὲ κατὰ αὐτὸν τὸν χρόνον Ἰουδαίων τὰ πρὸς Ἕλληνας ἐπὶ τῆς Ἀλεξάνδρου πόλεως. Et alia hujuſmodi ſexcenta, quæ ex quavis pagina afferre potuiſſem. Nemo igitur eat inficias, hanc phraſin non eſſe Joſephi genuinam ſine

ratione

---

[d] pag. 442. D. [e] pag. 502. D. [f] pag. 458. F. [g] pag. 575. A. [h] pag. 583. G. [i] pag. 619. G. [k] pag. 622. D. [l] pag. 623. D. [m] pag. 673. F.

Digitized by Google

ratione contendens. Sunt alii, inter quos Sebaldum Snellium numeres, qui tametſi non negent quin hæc verba ſint ſecundum Joſephi ſtylum genuſque dicendi, tamen inſuavem in tam pauculis illis lineis repetitionem non ferant. Enim vero aures delicatas & nimis faſtidioſas! ut elegantes ſunt! credas ſi datum eſſet iſtis ut in aliquo ſcriptore Hiſtoriarum cenſuram excercerent, ita animum ibi eſſe, ut ſtatim etiam leviſſima culparent; neque condonaturos Thucydidi ſua, ἐν δὲ τῷ αὐτῷ θέρει, vel τοῦ δ' αὐτοῦ θέρους, vel τοῦ δ' αὐτοῦ χειμῶνος, & denique κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον, & alia hujuſmodi, quæ ſexcenties occurrunt, & quamlibet ferè paginam occupant. Hi homines ſi legerent Homeri Iliadem, credas ſtatim exortos Zoilos, qui vel ſpuria & interpolata, vel ſaltem inſuavia damnarent ea omnia ubi Poeta ſuum repetit τὸν δ' ἀπαμειβόμενος. Ut jam neceſſe non ſit, pluſcula ex ipſo Joſepho petere hujus repetitionis exempla; quæ ubique ferè extant, & in eo capite quo continetur Teſtimonium ſæpiùs.

III. ἸΗΣΟΥΣ ΣΟΦΟ'Σ ἈΝΗ'Ρ. Hæc eſt non ſolum lectio vulgatorum Joſephi codicum, ſed & Codicis Cæſarei eorumque omnium qui vel græcam Joſephi periocham citant, aut verſiones exhibent latinas, ſi ſolum excipias Euſebii Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ codicem græcum: in quo legitur Ἰησοῦς τις σοφὸς ἀνήρ.

Sed neque hæc videtur eſſe genuina Euſebii lectio; cum in demonſtratione Evangelica vocabulum τις omittat; atque ejus interpres latinus Ruffinus Aquileienſis, & omnes græci qui Euſebium exſcripſiſſe videntur. Ut melior iſta quam retinent vulgati codices Flaviani ſit lectio, quam Euſebiana. Opus autem fuit, ut iſta notarem, quia Tanaq. Faber ſibi monſtra hic larvaſque ſuſcitavit quibus luctaretur, de quibus jam videbimus.

IV. 'ΙΗΣΟΥΣ. Non ignotus erat Joſepho Jeſus Chriſtus, utpote quem alieno etiam loco commemoret & quaſi aliud agens. Cum enim de cæde Jacobi juſti loquitur, aſſerit eum fuiſſe fratrem Jeſu τοῦ λεγομένου Χριστοῦ. Et ſane ſtultum eſſet credere, Joſephum nuſquam alibi de ipſo fuiſſe locutum. An quod neſciret Jeſum extitiſſe; at vero id quidem falſum eſt; cum & in Galilæa, ubi ſua potiſſimum edidit miracula Jeſus, ſatis diu fuerit verſatus quadraginta poſt ejus necem annis; & in eo vico Galilææ, quem Cana vocant Joſephus & Evangeliſta. An neſciebat ille Chriſtum, qui præceptorem habuit Banum, quemque diſcipulum aut ſectatorem ejus fuiſſe tradunt, cujus erat Chriſtum omnibus oſtendere; is autem erat Johannes Baptiſta. Inſtant quidem, ipſum quoque Juſtum Tiberienſem noviſſe Jeſum; de ipſo tamen tacuiſſe. Verum id quidem eſt; ſed aliud erat Juſti propoſitum,

Digitized by Google

poſitum, aliud Joſephi. Nam Juſtus Regum Judæorum Hiſtoriam conficere aggreſſus eſt; Joſephus verò univerſas Judæorum Origines ac geſta recenſere. Tantundem igitur hoc erit, ac ſiquis ratiocinetur ad hunc modum: Joſephus in libris de Bello Judaico altum de Chriſto ſervavit ſilentium, licet de eo loqui non rara ſe obtuliſſet occaſio: Ergo in libris Originum de eo non eſt locutus. Quamquam autem vel Juſtus, vel alii Judæi, exciſâ urbe de Jeſu tacerent, nemo tamen tunc auſus eſſet eum olim in terris cum cæteris mortalibus verſatum negare. Quid autem id tunc negarent, quod ne nunc quidem audent. Sane illi Judæi qui Joſephi ætate vivebant, vix aliter quam Joſephus de Chriſto ſentiebant. Si qui pejus ſentirent, non tamen eouſque inſaniæ progrediebantur, ut nunquam prorſus extitiſſe contenderent. Multi enim inter eos, & paſſum, & miracula feciſſe agnoſcebant; nec non è mortuis reſurrexiſſe. Hoc ſolum negabant, divinos ei honores tribuendos, aut ritus Judæos eſſe deferendos. Progreſſu vero temporis odio reciproco moti, hoſtes Chriſtianorum ſunt facti: idque quod olim credebant tandem omnino negare auſi ſunt. Fruſtrà ſunt qui cenſent, ex hodiernis Judæis aliquid certi de priſcis illis eſſe ſtatuendum. Quid quod proximâ poſt Joſephum ætate, ſiquidem libro Zoharis ſit credendum, quem ferunt

L 2 ſcriptum

Digitized by Google

ſcriptum ad mentem, aut etiam ab ipſo R. Simeone F. Jochai, & R. Akibæ, qui Hadriano imperante floruit, diſcipulo; adeo, ut Aquilæ Pontici fuerit coætaneus: in illo obſcuriſſimo loco ad Geneſeos Cap. II. 4, 5, 6. Quem exercitatione illuſtravit Ludovicus Capellus, Judæi duos agnoſcunt Meſſias, alterum filium Davidis, hoc eſt Regem magnum, victoremque, alterum filium Joſephi pauperem contemptum, quia ut ait Capellus, liberationem à Romanorum aliorumque gentium ſervitute, quam à ſuo Meſſia expectabant, per eum non ſunt nacti; ideoque relegant ad Chriſtianos, ipſiſque relinquunt colendum. Licet autem hæc pravè ſint intellecta, cum potius de gemino Chriſti adventu eſſent exponenda, hoc humiliationis, illo altero gloriæ: habemus tamen, ut ita dicam, confitentes reos, qui Jeſum pro qualicunque agnoſcunt Chriſto, ſeu Meſſiâ. Horum autem ſententiam recipere potuit Flavius.

Iſtum Zoharis locum, qui probare videatur veteres Judæos circa Joſephi tempora Jeſum noſtrum pro Chriſtianorum Meſſia recepiſſe, adeo, ut ſatis bene illis cum Joſephi Teſtimonio convenerit: quod ſi verum fuerit, nihil magis ad rem noſtram facere poſſit, erunt fortaſſe qui aſſerant, nihil proficere, cum per Meſſiam filium Joſephi non intelligant noſtrum Chriſtum, ſed alium è tribu Ephraimi,

vi

Digitized by Google

vi oraculi Jacobæi quod Geneſeos Cap. XLIX. 26. occurrit expectandum, atque Joſephi Patriarchæ gratia concedendum. Agnoſco ſic velle Judæos hodiernos; ſed cum illud poſteriorum effugium eſſe videatur, ut ipſe teſtatur Capellus, judicent docti, utrum alter iſte Meſſias, quem filium Joſephi nuncupant, pauper, infirmus, mendicus, leproſus, quemque etiamnum deliteſcere comminiſcuntur inter mendicos ad portas urbis Romæ, dici poſſit Meſſias, Joſephi Patriarchæ gratia conceſſus. Præclaram ſane gratiam iſti Joſephi optimè de gente Hebræorum merito ſic reponunt. Certè hinc videre liceat, quo magis in obſtinata infidelitate perſiſtunt Judæi, eo cæciores eſſe atque ſtultiores; qui ut ſuæ cauſæ patrocinentur perquam debili fultæ tibicine, abſurdiſſima nunquam excogitare vereantur. Ego verò longe aliam fuiſſe Judæorum poſt everſam urbem ſententiam exiſtimo. Nam cum viderent ex vocatione gentium, per Jeſum noſtrum ejuſque nomine & auctoritate facta, eum non alium eſſe quam Meſſiam: præſertim, cum Vates omnes nominatim ſatisque clarè prædixerint, Gentes ad Dei cognitionem per Meſſiam eſſe revocandas; ne iſtum omnino recipere cogerentur, aut vates mendacii inſimularent, hoc ſunt uſi commento, ut Meſſiam iſtum Joſephi filium Chriſtianis relinquerent, ſibi vero alterum Meſſiam, po-

tentem, magnificum, & pro captu ſuo verè Regium, venturum eſſe affirmarent. At vero, cum etiam Judæi poſteriores hoc ipſum ſibi fraudi eſſe cernerent; ad aliud effugium convolârunt: quod quidem priore illo ſuorum majorum eſt longè ſtultius. Sic igitur mihi nova Judæorum commenta objiciuntur, cum ego primis & antiquiſſimis illorum conceſſionibus ſtare mallem: iſtæ autem conceſſiones optimè quadrant cum ſententià Teſtimonii Flaviani. Non mirum eſt itaque, ſi Joſephus Jeſum agnoſcat, quem alii etiam priſci Judæi agnoverunt. Joſephus enim ille, quem Meſſiæ patrem eſſe perhibent, maritus eſt Mariæ Virginis, Jeſuque matris.

V. 'ΙΗCΟΥC ΤΙC. Huic voculæ τὶς, dicam inſcribit Tanaq. Faber, *Iſne*, inquit, *qui pro Chriſto habitus, ab aliis certe ita cognominatus, is inquam à Joſepho fuerit hoc loco dictus* Jeſus quidam? *Deinde iſte ignobilis* Ἰησοῦς τὶς *ita in hoc Joſephi, ut volunt Teſtimonio deſcribitur, ut veteres prophetas facile ſuperaverit omnes.* Mirum quidem hanc voculam tantopere derideri, quam etſi facile Joſepho abjudicem propter rationes ſupra allatas, nequeo tamen ita præterire, quin & rectè, & ſecundum Joſephi conſuetudinem uſurpatam eſſe nunc aſſeram; ſiquidem verum eſſet ut Joſephus ſic eſſet locutus. Quis enim ſcriptorum ubi de ignoto anteà viro, poſtmodùm verò

quaſi

Digitized by Google

quaſi è tenebris in lucem emergente non ſic loquatur? non potuit mea quidem ſententia hoc melius exprimere. Etenim in aliis ejuſmodi caſibus ab hac non divertitur forma loquendi. Nemo magis famoſus in Archæologia Judaica quam Jeroboamus filius Nabatæi. Qui decem tribus à Roboamo Solomonis filio extorſit; is vero Jeroboamus antea ignotus, cum primum in Hiſtoriæ ſerie compareat, hac voce celebratur, quæ ſane vel in bonam, vel in malam ſolet partem accipi. Libr. VIII. cap. 2. * ἐπιτίθεται δὲ σολομῶνι, καὶ τῶν ὁμοφύλων τις Ἱεροβόαμος υἱὸς Ναβαταίου. Nec aliter loquitur, etiam cum de propheta res eſt, ut ex iis verbis apparet quæ ſupra de Nahumo poſuimus. Similiter de Juda Vate ſimul & Eſſeno ſic habet Lib. XIII. cap. 19. † μάλιστα δ' ἂν θαυμάσειε καὶ Ἰούδαν τινά, ἐσσηνὸν μὲν τὸ γένος, οὐδέποτε δὲ ἐν οἷς προεῖπε διαψευσάμενον τἀληθές. Idem dixit de Nehemia, illo Judæorum inſtauratore maximo, atque è regiâ, ut multis viſum eſt, ſtirpe Davidis oriundo, Lib. XI. cap. 5. De Abrahamo quoque Beroſum ſic inducit loquentem, Lib. I. cap. 8. παρὰ χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνήρ. Neque aliter de præceptore ſuo loquitur in Libro de Vita ſua, πυθόμενος τινα βανοῦν ὄνομα κατὰ τὴν ἐρημίαν διατρίβειν— ζηλωτὴς ἐγενόμην αὐτοῦ. Legantur porrò quæ de

* pag. 273. G. † pag. 455. C.

de Ceniaſo & Jephtha, aliiſque multis ſimiliter efferuntur. Denique, quod cardo rei eſt, non aliter loquebantur de Chriſto, illi qui Chriſtum aut Meſſiam eſſe negabant, inter quos ſuum nomen Joſephus, ut iſti volunt, profitetur. Etenim ſic de Chriſto verba facit Feſtus, apud Lucam in Hiſtoria Apoſtolica. Plura poſſem producere, ſed hæc ad inſtitutum noſtrum ſufficiant; ne ſit neceſſe ad illud confugere, depravata ſcilicet eſſe Joſephi exemplaria, utque ſimul quoque notetur, quælibet culpari poſſe quæ nobis diſplicent, quantumvis alioquin recta eſſe videantur.

VI. ΣΟΦΟ'Σ 'ΑΝΗ'Ρ. Multæ paſſim occurrunt in Archæologia Judaica magnorum virorum deſcriptiones, ac elogia, quæ ſolet Joſephus plerumque morte commemoratâ ſubjungere. Iſtis ferè deſcriptionibus ac elogiis vocem ἀνὴρ, inutilem certè plerumque, ſed tamen emphaticam ſolet accommodare. Raròaliquod elogium ſine iſta voce legimus. Huic vero alias adjungit pro re nata convenientes. Harum multas deſcriptionum conſului, quæ à ſe invicem fere ſunt diverſæ, ut nemo magis quam Joſephus copia verborum abundare videatur. Quapropter nemo miretur, ſi vocem σοφὸς nullis adjunctam deſcriptionibus commonſtrem. Auſim enim aſſeverare, Joſephum de nullo alio præterquam de Jeſu Chriſto hac uſum eſſe. Sed ne hoc quiſquam carpat,

Digitized by Google

pat, viros excellentes variis & à ſe invicem diſtinctis attributis honeſtat, ut ferè nunquam quemquam deprehendatur eadem qua alium laude celebrare. Hoc ut compareat quod de utraque dixi voce, præcipua Heroum Elogia ac deſcriptiones, quantum ad rem noſtram ſit ſatis, ſubjeci. De Abrahamo è Beroſo Chaldæo Libr. I. cap. 8. παρὰ χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνήρ. Ipſe Joſephus de eodem cap. 17. ἀνὴρ πάσης ἀρετῆς ἄκρος. De Iſaaco Lib. I. cap. 20. ἀνὴρ θεοφιλὴς καὶ προνοίας πολλῆς ἠξιωμένος ὑπ' αὐτοῦ. De Jeſu Naveci filio Lib. V. cap. I. ἀνὴρ δὲ μήτε συνέσεως ὢν ἐνδεής, μήτε τοῦ τὰ νοηθέντα πρὸς τοὺς πολλοὺς σαφῶς ἐξενεγκεῖν ἄπειρος. De Samuele Lib. VI. cap. 14. ἀνὴρ οὐ τῆς τυχούσης ἀπολαύων παρὰ τοῖς ἑβραίοις τιμῆς; mox, ἀνὴρ δίκαιος καὶ χρηστὸς τὴν φύσιν. De Nathane Vate. Lib. VII. cap. 7. ὁ δὲ Νάθαν, ἀστεῖος ὢν καὶ συνετὸς ἀνήρ. De Chuſi Lib. VII. cap. 8. φίλος ἀνὴρ καὶ βέβαιος. Ibidem de Achitophele. ἀνὴρ ὢν φρενήρης καὶ συνιδεῖν τὸ λυσιτελὲς ὀξύτατος. De Davide Lib. VII. cap. 12. ἐπεὶ ἄριστος ἀνὴρ ἐγένετο. De Eliſæo Lib. IX. cap. 9. ἀνὴρ ἐπὶ δικαιοσύνῃ διαβόητος. De Polybio Megalopolitano Lib. XII. cap. 13. ὃς ἀγαθὸς ὢν ἀνήρ. De Juda Maccabæo Lib. XII. cap. 19. ἄνδρα γενναῖον καὶ μεγαλοπόλεμον γενόμενον. De Johanne Baptiſta Lib. XVIII. cap. 7. κτείνει γὰρ τοῦτον ἡρώδης ἀγαθὸν ἄνδρα. Unum exemplum addam è Lib. IV. cap. 18, de Bello Judaico, quo voluit Ananum

Ponti-

Pontificem celebrare, σεμνὸς ὁ ἀνὴρ καὶ δικαιότατος. Morem ſuum quoque ſervat etiam de muliere loquens, ſic enim Alexandræ Reginæ elogium orditur Lib. XIII. cap. 24. γυνὴ τῆς ἀσθενεῖ τοῦ φύλου καὶ ἐδὲν χρησαμένη. Hinc ſatis patebit in noſtra periocha Joſephum, licet attributum σοφοῦ ἀνδρὸς adhibuerit à cæteris omnibus diſcrepans, quod niſi feciſſet non eſſet hic ſimilis ſui; quoad modum tamen ſententiæ ac elogii ſuis moribus obſecutum fuiſſe. Etenim hoc, ut mea fert opinio, non minus ſtylum declarat, quam ſi centies alibi integrum σοφοῦ ἀνδρὸς attributum dediſſet.

VII. ΕΙΓΕ ΑΝΔΡΑ ΑΥΤΟΝ ΛΕΓΕΙΝ ΧΡΗ. Hanc omnium græcorum codicum lectionem, non agnoſcunt Codices manu exarati antiquæ Verſionis latinæ, quos penes ſe fuiſſe teſtatur Iſaacus Voſſius, inter quos fuit unus ante octo ſecula deſcriptus. Hinc ſuſpicatur ille ab aliena manu acceſſiſſe. Sed fruſtra, cum repugnet aliorum omnium conſenſus, tum græcorum tum etiam latinorum, atque eorum quidem, quos ſecutus eſt iſte Vetus Interpres, quique cum ſint eo antiquiores, hanc tamen periochamcum iſta ſententia perlegerunt. Eſto tamen, aliquid Codici Voſſiano eſſe tribuendum; Atquam proclive ſit talia librariorum in curiâ in optimos libros irrepere, nemo eſt qui neſciat, eorum qui in hiſce literis tractandis operam ſuam collocant.

Fieri

Digitized by Google

Fieri enim poſſit, ut aliquis Chriſtianus, cum apud Joſephum legiſſet, Jeſum Chriſtum elogio σοφοῦ ἀνδρὸς ſolum modo inſignitum atque celebratum, margini indignabundus adnotaverit, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή. Quæ verba ignarus poſtea librarius in ipſius verba ſcriptoris intruſerit. Sic quidem iſta defendi poſſent, niſi alia quoque ſuppeterent quæ me non ſinant iſtis rationibus commoveri. Non opus eſt ut de codicum noſtrorum fide aliquid pertimeſcam: omnia ſe in illis rectè habere credo. Cum nemini mirum videri queat, in ſcriptis codicibus quædam deeſſe quæ ex aliis citò ſuppleantur. Hæc itaque eſſe Joſephi lubens agnoſco: quid aliud quærunt adverſarii? me quidem habent confitentem. Dictum hoc eſt à Flavio: & rectè dictum exiſtimo. Phraſin à ſtylo tutam reddit hoc è libro primo contra Appionem, ſtatim à principio, ἄγειν δεῖ μὴ ταῖς ματαίαις δόξαις ἐπακολουθεῖν. Ut ne ſic quidem deſint exempla quæ hanc phraſin eſſe ſecundi Joſephi ſtylum comprobent.

Ad ſenſum hujus phraſeos illuſtrandum defendendumque veniamus. Qui poſtulaverit ſibi rationem dari, quomodo Joſephus id de Jeſu teſtari potuerit, hoc accipito reſponſum. Iſta verba non ſtatim ſupponunt, Joſephum dixiſſe, Jeſum eſſe Deum, ut putavit Tanaq. Faber, cum diceret, *Quid, quæſo aliud innuere vult, niſi Jeſum Dominum eſſe Deum?*

um? in quo graviter peccat hic pius impoſtor. Peccat ipſe potiùs Faber, cum verba iſtæc ultra protendit quam ipſa verba patiantur. Sunt enim ſolummodo dubitantis, qualis fuerit Homo ille de quo tam multa atque mirabilia audiviſſet. Tales dubitationes Judæorum animis inſediſſe, teſtes ſunt Evangeliſtæ. Erant enim, qui Jeſum vatis pridem mortui phantaſma eſſe crederent, Eliæ puto aut Jeremiæ, aut etiam Johannis Baptiſtæ. Quæ ſatis oſtendunt, eos plane neſciiſſe quid de Jeſu ſentirent. Inde fortaſſe ortæ quorundam Gnoſticorum opiniones, quaſi Chriſtus non fuerit verus homo, neque corpore paſſus eſſet. Iſti qui ſic credebant, dicere cum Flavio, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρὴ, potuerunt. Utrum Joſephus in iſta fuerit opinione non judico. Sic tamen credere potuit, licet eſſet judæus, ac proinde dubitare, quo potiſſimum nomine Jeſum indigitaret. An quia ejus Diſcipuli olim dubitarent ac quærerent, Matth. VIII, 27. ποταπός ἐστιν οὗτος, ideo neſciebant eſſe hominem, aut Deum eſſe affirmabant? Ex ſola ac mera dubitandi formula Chriſtum Jeſum à Joſepho θεολογούμενον affirmare, eorum eſt, qui nodum in ſcirpo quærunt, anſamque cavillandi quocunque modo arripiunt. Quid, ad hunc ferè modum * Terentius dixit, *Si tu ſis homo, hic faciat.*

* Adelph. Act. V.

faciat. Hoc eſt, ſi tu ſis qualem ego te velim eſſe. Nemo ſanus dixerit ideò, dubitare Demeam utrum filius ſit homo necne. Ad eundem ferè modum Joſephus ipſe de Judæis obſeſſis, centurionemque Julianum ἀνδραγαθήσαντα fugientibus dicit, οὔτε τὴν ἰσχὺν, οὔτε τὴν τόλμαν ἀνθρωπίνην ὑπολαμβάνοντες. De Bello jud. Libr. VI. cap. 7. pag. 947. an ergo vel Judæi vel Joſephus qui hæc narrat, Julianum fuiſſe Deum, non fuiſſe hominem crediderunt? Ergo fuit ejus virtus non humana ſed planè divina, ut illi quidem ſuſpicari poſſent. Hic etiam conferre poſſim quod de Agrippa Rege, Cæſareæ concionem habente adulatores dixerint, referente Joſepho Archæologiæ Lib. XIX. cap. 7. θεὸν προσαγορεύοντες, quem Lucas in Actis Apoſtolicis Herodem appellat, aitque, dixiſſe populum acclamantem θεοῦ φωνὴ, καὶ οὐκ ἀνθρώπου. Quod ſi dicant hanc vocem eſſe adulantium, ſic & noſtra vel dubitantis vel admirantis eſt; nam utrumvis accipiant & omnia in noſtra periocha rectè ſe habent. His ſimile eſt quod libro XVI. Ann. Taciti legimus de Thraſeo Pæto. *Audiret ſenatus voces quaſi ex aliquo numine ſupra humanas.* Sic Æneas dubitans,

> *O, quam Te memorem, Virgo? namque haud tibi vultus*
> *Mortalis nec vox hominem ſonat, ô Dea certè.*

Virg. Æneid. I.

quam-

quamquam enim illa Venus eſſet, nihil hoc ad rem; cum Æneas id neſciret. Sed quam formâ præſtantiſſimâ reſpicit, dubitat eſſe mulierem. Atque iterum, licet illa, *Haud equidem tali ſe dignetur honore*, tamen Æneas illam ſic alloquitur, *O dea, ſi prima*, &c. ſic etiam mirantis eſt iſtud in Flavio noſtro Lib. XV. cap. 2. καὶ Δέλλιος ἐπεφθέγγετο λέγων οὐκ ἐξ ἀνθρώπων αὐτῷ δοκεῖν, ἀλλά τινος θεοῦ γενέσθαι τοὺς παῖδας. Verum tamen ut te Tan. Faber, preſſius aliquantum urgeam, quid de illis quæ de Moſe ſcripſit Joſephus Lib. III. cap. 13. rogare velim ſentias? inquit enim, καὶ πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα τεκμήρια τῆς ὑπὲρ ἄνθρωπον αὐτοῦ δυνάμεως ἐστίν. An ergo Moſes non fuit Homo? ita vides quod tamen irridebas non modò dubitâſſe Joſephum, Moſes an eſſet homo, ſed quod magis ad rem noſtram conducit, planè aſſeruiſſe, vim ejus ſupra humanam fuiſſe. Majus eſt etiam quod de Eliſæo dixit Lib. IX. cap. 9. ὡς μετὰ τὴν τελευτὴν ἔτι δύναμιν ἔχει θείαν δεδηλώκαμεν. Quod ſi hoc te non tetigerit, quid nobis negotium faceſſis, Joſephum cum videas de miraculis Jeſu Chriſti teſtantem, atque ob eam rem dubitantem, an vis ejus aut natura eſſet ſupra humanam? præſertim verò cum videas Joſephum tantundem, aut etiam aliquid amplius de Juliano centurione quam de Chriſto Jeſu ſervatore noſtro locutum. Sic quoque referente Luca Paulum à vipera morſum,

neque

Digitized by Google

neque mali quicquam paſſum Barbari ſtupefacti || ἔλεγον θεὸν αὐτὸν εἶναι.

Porrò, quoniam in iſta ſententia inſit cum dubitatione figurata locutio, quæ multiplici quoque modo conſiderari poteſt, ne quid prætermittam quod planiſſimum efficiat à Joſepho hanc efferri potuiſſe ſententiam; dabo ſimul operam ut pateat iſtum loquendi modum iſi eorum eſſe numero, qui à Joſepho, quem in dicendo ferunt non reſpuere ſchemata orationis, quandoque ſunt uſurpati. Ineſt itaque huic ſententiæ multiplex ſchema; nam præter ἀπορίαν quæ in dubitatione, de qua priùs dixi, & ἐπανόρθωσιν, quæ in revocatione ſui, ſeu verborum correctione, conſiſtit, vocis ἀνὴρ repetitio πλοκὴν, integra vero locutio quandam hyperbolen conſtituit. Ubi enim eſt πλοκή, neceſſe ut ſint plures, utpote quæ fiat ex permiſtis figuris. Poſteaquam igitur de πλοκῇ quædam dixero, quæ ad hanc rem maximè viſa ſunt pertinere, eloquar quid ſit iſtæc hyperbole, & quam non dura, vel nimis audax ſit, licet vehementior eſſet, quam nunc legitur, ut ultra modum fidemque tendat, nec ſit etiam præter Joſephi morem & aliorum. Tunc enim eſt hyperbole virtus, finiente Quinctiliano, cùm res ipſa de qua loquendum eſt, naturalem modum exceſſit, quod de

Jeſu

|| Act. XXVIII. 6.

Jeſu Chriſto fatentur omnes eſſe veriſſimum. Quamobrem etſi Joſephus non εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρὴ, ſed εἴγε ὑπὲρ καὶ θεὸν αὐτὸν λέγειν χρὴ dixiſſet, ne ſic quidem malè.

Πλοκὴ eſt, quando vox quædam uno loco hominem, perſonam aut rem, altero, mores aliamve qualitatem ſignificat. Eſtque ſpecies quædam παρωνομασίας; nam in παρωνομασίᾳ eodem verbo quaſi falſum quid augetur. Harum finitionem & exempla nobis Phœbammon ſophiſta præbet aptiſſima: cujus Scholia Rhetorica cum nec dum ſint typis edita, integra verba è codice manuſcripto apponam. Παρωνομασία δέ ἐστι παραποίησις ὀνόματος πρὸς παραπλήσιον ἐγγὺς κείμενον, ὡς εἰ λέγωμεν. στρατηγὸς στρατηγὸς ᾑρέθη. ἤγουν λέξις τῆς αὐτῆς λέξεως, ἐπ' ἄλλου καὶ ἄλλου σημαινομένου, κατ' ἐναλλαγὴν νοῦ, ὃ πλοκῆς ἴδιον. ὡς ἵνα εἴπωμεν. ὁ ἄνθρωπος ἄνθρωπός ἐστι. τὸ μὲν τῇ φύσει, τὸ δὲ τρόπῳ. Et in alio loco, καὶ ἡ πλοκὴ παραποιοῦσα μὲν τὴν διάνοιαν, ἀναφέρει δὲ εἰς τὸ αὐτὸ ὄνομα. Mox etiam, τῆς δὲ πλοκῆς τὸ χάριεν ἐστίν. ἄνθρωπος ὅταν ᾖ ἄνθρωπος. καὶ τῷ μὲν ὀνόματι τῷ αὐτῷ ἐχρήσατο. ἐνήλλαξε δὲ τὸ σημαινόμενον. τὸ μὲν γὰρ κοινῶς εἴρηται ἐπὶ παντὸς ἀνθρώπου. τὸ δὲ, ἰδίως ἐπὶ τοῦ χρηστοῦ ἀνθρώπου. Atque ſic σοφὸς ἀνὴρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρὴ hoc ſchema conſtituit, cui ſimillimum exemplum ex iſto ſophiſtâ exhibetur; quod quidem exemplum ex aliquo oratore petitum eſſe videtur, atque ferè ſenſu ac voce conſentit cum his

verbis

verbis Demoſthenis, ex oratione contra Timocratem, τὸ μὲν γὰρ, χρηστῶν. τὸ δ' ἀνάνδρων ἀνθρώπων ἔργον ἐστί. Quaſi quis dicat, malos non eſſe viros, bonos vero ſupra humanam naturam eſſe collocandos.

Tametſi hæc omnia in oratore ferri poſſint; nec in illo culpentur locutiones, quæ augendo vel minuendo, quod proprium eſt hyperboles, fidem ſuperare videantur: in noſtro tamen Flavio ſolent hanc culpare loquendi rationem. Sed fruſtra & injuriè; cum iſtum audaciorem ornatum è ſententia Quintiliani, nec alii, nec ipſius Joſephis ſcribendi ratio vel modus reſpuat. Dedi ſupra hujus exemplum ex Adelphis Terentii, nunc etiam exemplorum numero & pondere adverſarios urgere ſtatui. Primùm autem exempla petentur è Terentii Fabulis, ubi quis iratus vel indignans in hanc invehitur hyperbolem, cùm primùm cœperit intumeſcere, aut indignari. * Sic Parmeno contra Gnathonem Paraſitum cum ſic dicat, *Ex homine hunc natum dicas?* Cum bellua ſcilicet comparare vult. Laches iratus ſenex ſic uxorem ſuam alloquitur,

Tu inquam, mulier, quæ me omnino lapidem,
haud hominem, putas. Hecyr. Act. II.

& mox, Phidippus uxorem Myrrhinam iiſdem propemodùm verbis,

---

* Eunuch Act III.

Vir ego tuus? tu virum me, aut hominem adeo eſſe deputas?
Nam ſi utrumvis horum, mulier, unquam tibi viſus forem,
Non ſic ludibrio tuis factis habitus eſſem.
Hecyr. Act. III.

An ergo neſciebant uxores, utrum vel Laches vel Phidippus eſſent viri vel homines? Mores itaque hæc ſpectant verba, vel hominum qualitatem. Plenus ferè hujuſmodi locutionum eſt M. T. Cicero in Orationibus. Libro III. actionis in Verrem, dixit, *contempſit ſiculos, non duxit homines.* Libro IV. de ipſo Verre, *mirari ſolebam, iſtum in his ipſis rebus aliquem ſenſum habere, quem ſcirem nulla in re quidquam ſimile hominis habere.* Necnon Libro V. *Vir accumbebat nemo, præter ipſum & prætextatum filium. Tametſi rectè ſine exceptione dixeram, virum, cum iſti eſſent neminem fuiſſe.* Denique haud multò poſt, *Cum homine enim crudeli nobis res eſt, an cum fera atque immani bellua?* Et in M. Antonium Philippicâ tertiâ. *Hunc igitur ego conſulem, hunc civem Romanum, hunc liberum, hunc denique hominem putem?* nec magis mulieri parcit, nam in oratione pro A. Cluentio, de ejus matre ſic inquit, *cujus ea ſtultitia eſt, ut nemo hominem; ea vis, ut nemo fœminam; ea*

crudelitas

Digitized by Google

crudelitas, ut nemo matrem appellare poſſit. Mox, *eo jam denique adducta eſt, ut ſibi, præter formam nihil ad ſimilitudinem hominis reſervârit.* Nec diſſimile Flaviano εἴγε ἄνδρα λέγειν χρὴ eſt iſtud ex divina Philippica, II. *Verumtamen homines quamvis in turbidis rebus ſint, tamen ſi modò homines ſunt, interdum animis relaxantur.* Atque hæc ſunt exempla eorum qui malos quoſdam, vel pro malis acceptos, non homines eſſe exiſtimant. Tranſeo jam ad alios qui bonos ac præclaros viros, ob id ipſum, non verentur inter Deos collocare, atque ſic per audaciorem quodammodo hyperbolen, majori quoque laude celebrare. Utriuſque rei exemplum hic M. T. Ciceronis ſermo complectitur, in Oratione pro Q. Ligario; *Hæc nec hominis, nec ad hominem vox eſt: quâ qui apud te C. Cæſar, utetur, ſuam citiùs abjiciet humanitatem, quam extorquebit tuam.* Hinc notum eſt proverbium, [a] *Homo homini Deus,* & vice verſa, [b] *Lupus homo homini, non homo; quom qualis ſit non novit,* apud Plautum. Græcum Oraculum de Lycurgo Spartano ſic repreſentat Herodotus Lib. I. c. 65.

Ἥκεις ὦ Λυκόεργε ἐμὸν ποτὶ πίονα νηὸν,
Ζηνὶ φίλος, καὶ πᾶσιν ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι.
Δίζω ἤσε θεὸν μαντεύσομαι ἠὲ καὶ ἄνδρα.
Ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον θεὸν ἔλπομαι ὦ Λυκόεργε.

---

[a] Cæcillianus apud Symmach. [b] Plaut. Aſinar. Act. II.

De quo oraculo ſic olim apud Plutarchum in vita Lycurgi legeram; quod etiam ad hæc exempla attinet, ‘πρῶτον ἀπεδήμησεν εἰς δελφοὺς καὶ τῷ θεῷ χρησάμενος καὶ θύσας, ἐπανῆλθε τὸν διαβόητον ἐκεῖνον χρησμὸν κομίζων, ᾧ θεοφιλῆ μὲν αὐτὸν ἡ πυθία προσεῖπε, καὶ θεὸν μᾶλλον ἢ ἄνθρωπον. Hinc apud Suidam legas, ὃν καὶ θεὸν ἡ πυθία προσηγόρευσεν. Equidem, quantum videre liceat, non minùs decantatum fuit illud oraculum inter priſcos illos Hellenas, quam eſt hoc de noſtro legiſlatore apud Chriſtianos teſtimonium Flavianum.

Vel ſolus M. T. Cicero talium exemplorum faſciculum nobis ſuppeditare poſſit. Ea vero in duo genera diſtribui poſſunt. Quorum primum eſt, ubi Cicero rectâ viâ atque apertè aliquem *Deum* appellat; alterum verò, ubi cujuſdam virtutem, conſilium, vim aut gloriam *Divinam* muncupat, aut aliquid *Divinitùs* factum eſſe ab eo aſſerit. Exempla prioris generis hæc ſunto. De P. Lentulo Oratione ad Quirites poſt reditum, *P. Lentulus conſul, parens, Deus, Salus noſtræ vitæ.* De Quiritibus ipſis in eadem oratione, *Numenque veſtrum æquè mihi grave, & ſanctum, ac deorum immortalium in omni vitâ futurum.* Quæ propemodum repetit in Senatu Oratione poſt redi-

* Ed. Ald. fol. 13.

tum

tum, *Princeps P. Lentulus, parens ac Deus noſtræ vitæ*, &c. Ibidem, *Ego vos univerſos Patres conſcripti, deorum numero colere debeo.* De lege Agraria contra Rullum Oratione ſecundâ, *Hæc qui proſpexerint, majores noſtros dico, Quirites, non eos in Deorum immortalium numero venerandos a nobis & colendos putatis?* Quemadmodum etiam de Q. Metello loquitur Oratione in Piſonem, *Quem ego civem meo judicio cum Deorum immortalium laude conjungo.* Et de ſeipſo in eadem oratione, *mihi Populus Rom. univerſus illa in concione non unius diei gratulationem, ſed æternitatem, inmortalitatemque donavit.* Et Oratione pro Cn. Plancio de ejus pietate erga parentem loquens, *quem veretur*, inquit, *ut Deum, neque enim multo ſecus parens liberis*; Libro primo de Oratore, *Equidem te in dicendo ſemper putavi Deum*, propter facundiæ laudem. Quemadmodum etiam Libro II. de Oratore; *Vide quam ſim in iſto genere inquit, Catule Deus, non mehercule mihi niſi admonito, veniſſet in mentem.* Dixerat enim ille, *In qua tu mihi ſemper Deus videri ſoles.* Denique exaliorum ſententia ſic loquitur Oratione pro Flacco. *Mithidatrem, Deum illum patrem, illum conſervatorem Aſiæ, illum Euium, Dionyſium, Bacchum, Liberum nominabant.* Quæ omnes locutiones inde natæ ſunt, quo-

Digitized by Google

niam ut inquit Plinius[d], *Deus eſt mortali juvare mortalem.* Hinc Cicero pro Ligario, *Homines enim ad Deos nullâ re propiùs accedunt, quam ſalutem hominibus dando.* Et ilud Strabonis, [e] εὖ γὰρ εἴρηται καὶ τοῦτο, ἀνθρώπους μάλιστα μιμεῖσθαι θεοὺς ὅταν εὐεργετῶσιν. Hinc orti Dii Ethnicorum, atque Reges divinos honores conſecuti ſunt; quorum exempla infra dabo, poſtquam exempla alterius generis ex Cicerone protulero.

De Pompeio Magno itaque hæc habemus oratione pro lege Manilia, *Cn. Pompeii divino conſilio, ac ſingulari virtute depulſum eſt.* Et mox, *Tantam ne unius incredibilis ac divina virtus, tam brevi tempore lucem afferre reipublicæ potuit?* Et mox, *Eſt hæc divina, atque incredibilis virtus imperatoris.* Hic quidem τὸ παράδοξον τῶν ἔργων vult non ab alia quam divinâ naturâ ac virtute profluxiſſe. Oratione pro Flacco, *Illa eſt enim Gloria divina Pompeii*; & Philippicâ II. *Quid vero ille conſularis vir ac pene divinus de me ſenſerit, ſciunt qui eum de Pharſalica fuga Paphum perſecuti ſunt.* De Caio Cæſare initio Orationis pro M. Marcello, *Tam denique incredibilem ſapientiam ac pene divinam tacitus nullo modo prætérire poſſum.* De C. Cæſare Octaviano, Philippica III. *Incredibili ac divina quadam mente.* Philippicâ V.

---

[d] Hiſt. Nat. lib. II. cap. 7. [e] Libro X.

Divinum

Divinum adoleſcentem appellat. Pilippicâ X. *Incredibilis ac Divina virtus Cæſaris.* Et Philippicâ XIII. *Cæſaris enim incredibilis ac divina virtus.* De Legionibus Cæſaris Octaviani, Philippicâ III. laudat militum *divinum atque immortale meritum*; atque Philippicâ XIV. etiam in ſententia proferenda, ubi maxime ſimpliciter loqui ſolent, laudat tamen eorum *divinam virtutem.* Et Philippicâ V. vocat, *divinas Legiones.* De Serv. Sulpicio Philippicâ IX. *Nec vero ſilebitur admirabilis quædam & incredibilis, & penè divina ejus in legibus interpretandis, æquitate explicanda, ſcientia.* De Planco Philippicâ XIII. *Plancum participem? cujus memorabilis ac divina virtus lucem affert reipublicæ.* De C. Piſone oratione ad Quirites poſt reditum, *me* inquit, *C. Piſonis, generi mei divina quædam, & inaudita auctoritas, atque virtus*——*a vobis deprecatæ ſunt*; oratione pro domo ſua, *Nam quid ego illa divina, atque immortalia municipiorum, & coloniarum, & totius Italiæ decreta commemorem?* De Galba Libro primo de Oratore, *Equidem & Servium Galbam memoriâ teneo divinum hominem in dicendo.* Ergo homo eſt, tamen divinus. Ad eundem modum hæc quoque quæ ſequuntur dicta ſunt. Initio orationis pro Domo ſua, *Cùm multa divinitùs, Pontifices, à majoribus noſtris inventa ſunt, tum nihil præclarius,* &c. Oratione ad Quirites poſt reditum, *ut intelli-*

gere poſſitis, neminem unquam tanta eloquentia fuiſſe, neque tam divino, atque incredibili genere dicendi, &c. Sic etiam Libro de Oratore primo, *Quo quidem in ſermone multa divinitùs a tribus illis conſularibus Cotta deplorata & commemorata narrabat.* Eodemque libro, *Etſi Plato de rebus, a civilibus controverſiis remotiſſimis, divinitùs eſt locutus.* Neque de ſeipſo iſtuc dicere veretur; etenim oratione pro P. Sulla hæc jactat, *In quo ego tam ſubito, & exiguo & turbido tempore multa divinitùs, ita ut dixi, non mea ſponte providi.* Ideoque *divinam* hic ſibi *providentiam* vendicat. Huc etiam referendum proœmium actionis in Verrem.

Diximus ſuprà Reges propter beneficia quibuſdam collata ab illis honores divinos ipſumque Dei nomen conſecutos fuiſſe, cujus rei ſuprà exemplum in Mithridate protulimus ex Cicerone. Hic etiam plura lubet addere. Cum obſideret Furius Camillus Faliſcos, proditos ſibi a præceptore, pueros parentibus dimiſit; hunc illi Deum ideo nuncuparûnt; Plutarchus in vita Camilli. [f] Τὸν δὲ Κάμιλλον, σωτῆρα καὶ Θεὸν καὶ πατέρα ἀνακαλοῦντες. Pompeius M. ut ſcribit idem, Athenis Sacrificans concione ad populum habitâ cum abiret ſtatim, [g] ἀνεγίνωσκεν εἰς αὐτὸν ἐπιγεγραμμένα μονόστιχα τὸ μὲν ἐντὸς τῆς πύλης,

[f] Aldi. Ed. fol. 42. [g] Aldi. Ed. fol. 107.

Ἐφ'

Digitized by Google

Ἐφ' ὅσον ὢν ἄνθρωπος οἶδας, ἐπὶ τοσοῦτον εἶ θεός·
τὸ δ' ἐκτὸς,
Προσεδοκῶμεν, προσεκυνοῦμεν, εἴδομεν, προσπέμ-
πομεν.

[h] Iidem Athenienſes, teſte Plutarcho, Demetrium & Antigonum propter exactum Demetrium Phalerea, non ſolùm Reges, quod nemini ante ſucceſſorum Alexandri M. fecerant vocaverunt, ſed etiam σωτῆρας ἀνέγραψαν θεοὺς Hæc quoque habet Plutarchus de Dione Syracuſano, quem propter reſtitutam non ſemel Rempublicam, & à Tyranno Dionyſio recuperatam, hoc nomine decorârunt. [i] ἀνὴρ, inquit Plutarchus, διὰ τῆς ἀχραδινῆς, ἐκαλλιέρουν παρὰ τὴν ὁδὸν, τῶν συρακουσίων ἱερεῖα καὶ τραπέζας, καὶ κρατῆρας ἱστάντων, καὶ καθ' οὓς γένοιτο, προχύταις τε βαλλόντων καὶ προστρεπομένων, ὥσπερ θεὸν κατευχαῖς. Atque iterum [k] τὸν μὲν Δίωνα, σωτῆρα καὶ θεὸν ἀποκαλούντων: Milites Romani Siccium Dentatum propter navatam fortiter & feliciter ipſius ductu operam, Patrem, Servatorem, & Deum appellant, apud Dionyſium Halicarnaſſeum, Libro X. Virgilius, Cæſarem Auguſtum ſervatorem ſuum, eodem verbo in carmine celebravit.

---

[h] V. Demetrii, edit. Ald. fol. 285.
[i] Dione fol. 313. [k] Fol. 316.

O Me-

Digitized by Google

O Melibæe, Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi ſemper Deus; illius
eram
Sæpe tener noſtrts ab ovilibus imbuet agnus.

Hinc Menecrates Medicus ſe *Jovem*, Empedocles *Deum* apud Agrigentinos profeſſus initio καθαρμῶν, quod exhibet Diogenes Laertius, & exagitavit Tertullianus Libro de Pallio. Neque ab hujuſmodi locutionibus abſtinent Chriſtiani ipſi, qui non minùs ac Judæi religione diſtinentur, ne nomen illud vilifaciant. Antonius Auguſtinus, Venetorum legatus ad Cæſarem Maximilianum oratione quam exhibet [a] Guicciardinus, profitetur rempublicam Venetorum colere ac venerari Cæſarem, & ut *Deum* reſpicere. Sed & Paulus Jovius, Matthiæ Corvini, Regis Hungarorum epitaphium profert, in quo non minoribus ille laudibus effertur. Sic autem eſt.

Corvini brevis hæc urna eſt, quem magna fatentur
Facta fuiſſe Deum, fata fuiſſe hominem.

Ecquid audacius ſingi poſſit? nemo tamen a Chriſtiano hoc fuiſſe ſcriptum negabit; præ-

[a] Lib. 8.

iſtis

iſtis quidem nihil eſt Teſtimonium Flavianum. Sed nequis mihi novum hoc eſſe objiciat, aliquot etiam antiquiſſima adjiciam, quorum primum erit ferè ætate par teſtimonio noſtro. Nam ſic de Peregrino loquitur Lucianus, in vincula propter Chriſtianiſmum, fictum tamen conjecto; καὶ ὡς θεὸν αὐτὸν ἐκεῖνοι ἡγοῦντο. Quid jam audio? hoccine ſtolidum gloriæ animal Chriſtianos ut Deum exiſtimâſſe? factum id tamen eſt, aut factum putat Lucianus, qui hanc hyperbolen audacem nimis non putavit. Sed neque alii inter Chriſtianos hanc hyperbolen nimis duram eſſe exiſtimârunt. Hæc dixit Gregorius Nazianzenus de beneficiis a Deo in Chriſtianum collatis; [1] υἱὸν, inquit, γενέσθαι θεοῦ, συγκληρονόμον χριστοῦ, τολμήσας εἴπω, καὶ θεὸν αὐτὸν. Quin & Hieronymus, Huetio indice, hominem jubet fieri *Deum* ut mentiri deſinat, omnem quippe hominem eſſe mendacem; & cum *Deus* fuerit effectus & deſierit eſſe homo, tum & mentiri deſiturum. Quid jam dicam? niſi tritam eſſe hanc hyperbolen, ut magis etiam Oratoribus atque Poetis eſſe condonanda videatur. Q. Horatius: *Palmaque nobilis Terrarum Dominos evehit ad Deos.* Ne quid hîc de Plautino dicto afferam, & *Humanis Jovibus*, eo quod ſit dictum minis comicè, quia Paraſiticè; ut

[1] Orat. XVI. περὶ φιλοπτωχίας, pag. 253.

& illud

Digitized by Google

& illud Plautinum. ER. [m] *Ut ſacrifices.* HE. *Cui Deorum?* ER. *mihi Hercle! nam ego tibi nunc ſum ſummus Jupiter.* Quemadmodum etiam in Aſinaria [n] ille alter dixerat,

—Siquidem mihi ſtatuam & Aram ſtatuis,
Atque ut Deo mihi hîc immolas bovem: nam
ego tibi Salus ſum.

Ut ſcilicet quos miramur, aut quibus indigemus, iis vota tanquam Diis nuncupemus. Hinc etiam Terentianum illud,

[o] *Laudarier te audit libenter, facio te, apud*
illum Deum.

Nec non & alterum iſtuc ex eodem, quod etiam eſt Plautinum, nam in Curculione dixit quidam, *Deus ſum, ſi hoc ita eſt.*

Verum enim ut tandem aliquando finem aliquem huic argumento ac modum orationi ſtatuam: certum id quidem eſt, τὸ παράδοξον τῶν ἔργων in qualicunque demum id extaret homine, ſemper effeciſſe ut vulgus aliquid in eo *divinum* ineſſe ſuſpicaretur. Cujus opinionis aliquod hic inſtantias ſubjiciam. [p] De Fabio Maximo cunctatore ſic Plutarchus, ἡ γὰρ περὶ τ

[m] Capteiv. Act. IV. [n] Act. III. [o] Adelph. Act. 4.
[p] Vita Fab. Max. Aldin. ed. fol. 58.

μέχρις

μάχης φασὶν δειλία καὶ ψυχρότης λεγομένη, μετὰ τὴν μάχην εὐθύς, οὐδὲ ἀνθρώπινος ἐδόκει λογισμός, ἀλλὰ θεῖόν τι χρῆμα διανοίας καὶ δαιμόνιον ἐκ τούτου τὰ μέλλοντα προορωμένης, ἃ μόλις ἦν πιστὰ τοῖς παροῦσι. Nec aliter Appianus de Hannibale ipſo: ὅδε, ὡς ἐν βαρβάροις τε καὶ τεθνηκόσιν αὐτὸν, καὶ δὴ ἄμφω δυναμένοις ἀπατᾶσθαι, τὴν ἐσθῆτα καὶ τὴν κόμην ἐνήλλασε, συνεχῶς ἐσκευασμέναις ἐπινοίαις, καὶ αὐτὸν οἱ Κελτοὶ περιιόντα τὰ ἔθνη, πρεσβύτην ὁρῶντες, εἶτα νέον, εἶτα μεσαιπόλιον, καὶ συνεχῶς ἕτερον ἐξ ἑτέρου, θαυμάζοντες, ἐδόκουν θειοτέρας φύσεως λαχεῖν. Sed neque Philoſophi ab hac opinione liberi erant, de Pythagora enim ita ſcriptum eſt, καὶ αὐτὸν οἱ μαθηταὶ δόξαν εἶχον περὶ αὐτοῦ, ὡς εἴη Ἀπόλλων ἐξ Ὑπερβορέων ἀφιγμένος. Quæ verba ſunt Diogenis Laertii, neque aliter [q] Porphyrius; quem conſulere præſtat, quam ejus verba deſcribere; quod obſervare non neglexit [r] Lucianus, Θεός, οὐ βροτός τις εἶναι φαίνεται. Neque Ælianus in varia Hiſtoria; & poſt Porphyrium [s] Iamblichus, horum quoque meminit, ut minùs utique mirum videatur. Si ejus diſcipuli ſententias magiſtri vocarent θεοῦ φωνάς, ut teſtatur Diogenes Laertius & Philoſtratus apud [t] Suidam. Quamobrem non modò hujus exemplum viros ſapientiæ laude celebratos pro diis habitos a rudiori vulgo vel diſciplinæ ſuæ ſectatori-

[q] V. Pythag. p. 189.
[r] Vit. Auction.
[s] De Vit. Pythag.
[t] V. Πυθαγόρας.

bus,

Digitized by Google

bus, ſed & Zamolxis, Abaris, Orphei, Lini, aliorumque declarant. Dicent fortaſſe hæc omnia vetuſtatem illam redolere, quæ id quod neſciebat, omne *Divinum*, exiſtimabat; quaſi vero non ipſe Plutarchus, Syllæ Dictatori tribuat θειότητα, verba ejus hæc ſunt, [*] ταῦτα μὲν οὖν περὶ τῆς θειότητος, τὸν δὲ ἄλλον τρόπον, ἀνώμαλός τις ἔοικε γεγονέναι καὶ διάφορος πρὸς ἑαυτόν. Quod ſi bene memini, Philoſtratus Apollonium Tyanæum, ἔργων παραδόξων ποιητὴν, vel à ſe vel a Damide Apollonii ſocio, deprehenſum fuiſſe naturæ ſupra humanam excellentioris participem aſſerit. Si bene inquam memini, neque enim nunc licet librum conſulere, at vero ſi hoc verum non fuerit, tamen verum eſt, Eunapium Iamblicho θειότητα aſcripſiſſe, quem etiam vult fuiſſe παραδόξων ποιητὴν. Neque certe alia mens fuit Tiberio, cum audiviſſet de Chriſti miraculis, atque ad ſenatum retulerit, ut in Deorum numero collocaretur. Nam cum credere nollet eum eſſe hominem, qui tam incredibilia poſſet efficere, dubius igitur mentis inter Deos collocat. Neque alia erat ratio illorum Lyſtrenſium, qui Paulo & Barnabæ tanquam Jovi & Mercurio vota nuncupare voluerunt. Neque novum hoc erat, eum, qui pro mortuo fuerit reputatus, iterum verò ſtatim apparuerit, tanquam Deum ab

[*] Plut. Sylla, fol. 150.

Ethnicis

Digitized by Google

Ethnicis exiſtimari; *Epidium Nuncinonum*, inquit[x] Suetonius, *ferunt olim præcipitatum in fontem fluminis Sarni; paulo poſt cum cornibus extitiſſe, ac ſtatim non comparuiſſe, in numeroque Deorum habitum.* Idem, aut prorſus ſimile de Zamolxi refert[y] Herodotus. An non igitur Joſephus, qui ad Græcos ſcripſit, uſurpare potuerit ſchema in oratione, ac ſententiam illis prorſus familiarem, ac ſuæ ætatis hominibus uſurpatam; ut ſic Ethnicos alloquens, dicta Ethnicorum imitaretur, uſurparetque ſententias? Sed & ipſi Ethnici a Tiberio Cæſare edocti, jamdudum fortaſſe bene de Chriſto ſentire potuerunt; quem ſciebant ſolius ſenatûs interceſſione abfuiſſe, ne colerent ut Deum.

Licet iſta ſatis fuerint ad os cujuſlibet quantumvis faſtidioſi opprimendum: ne quid reſtet ſubterfugium, etiam aliquid reponam illis, quæ affert, ut objectionem ſupra factam ſtabiliat Tan. Faber. *Judæi enim*, inquit, *ne ſuſpicabantur quidem, Meſſiam ſeu Chriſtum fore Deum, ſed præſtantiſſimum aliquem principem ex ſemine Davidis.* Atque hîc iterum primum illum videmus errorem eorum, qui ex iſta ſententia putant aſſeri Jeſum fuiſſe Deum, quia dubitans Joſephus dixit, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή; quæ mirantis vox eſt potius, quàm

[x] De Clar. Rhetor. cap. IV. [y] Lib IV. cap. 95.

aſſerentis.

aſſerentis. Utcunque verò hæc ſint intelligenda; eſto ſane, ut quidam Judæorum non uſque adeo in arcana vaticiniorum penetraviſſent, non tamen omnium erat iſta ſententia. Quin etiam, ſi quoſdam Saduceos, aut Sacerdotes ab eorum partibus ſtantes excipias, neceſſe eſt, ut contrarium potius plebem ſaltem Judaicam aut ipſos ſcribas ſenſiſſe fateamur. Porrò infelix omnino fuit Faber, qui hoc e Matthæi cap. XXII. 42. conatus eſt probare, quod vel ad rem ſuam nihil facit vel contra ſe. Judæos enim expectâſſe Meſſiam qui eſſet Filius Dei, & hic locus probat, licet Phariſæi Chriſti reſpondere objectioni nequiverint, vel quod ego potius cenſeo, noluerint; atque multi alii, quales ſunt iſti loci Mat. XXVI. 63. Johan. I. 49. Filius autem Dei non minus eſſe Deus credebatur, quam Regis cujuſlibet filius eſt Rex, ubi Pater eum Regni ſui participaverit, cum hac tamen differentia, Dei filium ipſum fuiſſe ſemper Deum. Deus enim eſſe nequit, qui aliquando non fuit.

Agnoſco Tryphonem Judæum, atteſtante Juſtino Martyre in Dialogo quem cum ipſo habuit, in alia fuiſſe ſententiâ, cum diceret, καὶ γὰρ πάντες ἡμεῖς τὸν χριστὸν ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων προσδοκῶμεν γενήσεσθαι, καὶ τὸν ἠλίαν χρῖσαι αὐτὸν ἐλθόντα. Sed quid inde conficias? certè nihil aliud quam Judæos quoſdam urbe dirutâ mutaviſſe ſententiam. Longè alia illis mens erat

aliquot

Digitized by Google

aliquot ante Chriſtum natum annis, cum famam de Rege magno venturo per orbem ſparſiſſent, editis nomine Sibyllarum carminibus, quæ Deum regnaturum eſſe prædicerent, quale eſt hoc, Lib. II. circa fin.

> Τότε δὴ βασιλεία μεγίστη
> Ἀθανάτου βασιλῆος ἐπ ἀνθρώποισι φανεῖται.

Qui verſus, cum reliquis huic proximis [a] M. T. Ciceroni viſus eſt, ut ipſe ſignificat; nequit autem aliter explicari quam de Deo venturo, ideoque Tryphonis opinioni contrarius eſt. Neque ſanè aliunde peti poſſunt vel origo, vel intellectus eorum, quæ Virgilius de Vatis Cumææ ultimâ cecinit ætate, nam eum quidem Regem futurum eſſe Dei filium, vel hic verſus indicat, quem nemo aliter poſſit intelligere,

Chara Deum ſoboles, magnum Jovis incrementum.

Ridet Euſebium Tan. Faber, adeò illi inveteratum eſt odium contra omnia de Chriſto teſtimonia, quoniam iſtam Virgilii Eclogam de Chriſto explicet; ipſe potiùs ridendus, qui aliter explicari poſſe credat. Aliò quidem hoc Vaticinium ipſe transfert Virgilius, ſed præter ejus auctoris mentem à quo illa mutuatus eſt. Quem quidem Vatem Cumæam fuiſſe credit; ſed qui non alius eſſe poſſit

[a] In Catilin. III.

quam Judæus, qui iſtæc vaticinia ex priſcis Vatibus deſumpta cecinerit.

Ne quis vero in poſterum a nobis poſtulet, undenàm iſta Virgilius hauſerit, vel tam familiare cum Judæis commercium habuerit, ut ab illis fieret arcanorum particeps, hoc adjiciam. Quod nequis me accuſet nimium pervagari, intra meos me limites continebo, atque ex Flavio Joſepho potiſſimùm comprobabo. Herodes Magnus, Rex Judæorum Romæ deſignatur C. Domitio Calvino II. & C. Aſſinio Pollione. Iſte Pollio factus erat tunc temporis Herodi amiciſſimus, erat enim ut narrat Joſephus Lib. XV. cap. 13. Τῶν μάλιστα σπουδασάντων περὶ τὴν ἡρώδου φιλίαν· quippe, quod ei filios ſuos Herodes, Alexandrum, & Ariſtobulum, ex Mariamne dilectiſſima conjuge ſuſceptos, commiſerit hoſpitio excipiendos. Apud eum longo ſatis temporis intervallo vixerunt, ut diſciplinis inſtituerentur liberalibus, quod etiam teſtatur idem Lib. XVI. cap. 1. Iſte autem Pollio, negotio de reducendo in urbem Alexandriam Ptolomæo Rege ex mente Sibyllæ, *non interfuit ſolum ſed præfuit*, ut me doçet [b] M. T. Cicero. Tunc enim longè latèque perſonabant iſta Vaticinia Sibyllina. Habemus itaque Pollionem Sibyllinorum carminum plenum; quique ad eorum mentem negotium

[b] Epiſt. VI. ad Lentulum.

gotium peregerit maximum. Habemus etiam domi ejus juvenes duos regios, & quidem Judæos cum pædagogis inſtituendos, in quorum libraria ſupellectile carmina Sibyllarum à Judæis compoſita defuiſſe, vix adducar ut credam. Sed & tunc cautum erat à Judæis Alexandrinis, ut ubique carmina iſta ſpargerentur, quoſque, ut magis auctoritate pollerent, ſub ementitis Sibyllarum nominibus venditabant. Erant autem iſtæc carmina ut vaticiniorum apud Judæos receptorum commentarii. Quamobrem cum Virgilius in Pollionis familia his quoque temporibus, quibus ferveret negotium Sibyllinum, fuiſſe videatur, natuſque Pollioni filius Saloninus; quid mirum ſi Virgilius huic puero iſtos Sibyllæ verſus cenſeatur accomodare voluiſſe.

Quoniam vero in eo ſum, ut etiam gentilium ſcripta anteſtari neceſſe ſit, ad priſcam Judæorum fidem & opiniones cognoſcendum, cùm adeo ſint iniqui hujus ætatis Judæi, ut ea omnia penitùs negent atque rejiciant, quæ ſibi damno eſſe, & a Chriſtianis in rem ſuam conferri vident, licet a patribus ſuis olim ſanctiſſimè ſint recepta; adjiciam his teſtimonium Chalcidii Platonici, *Sane notanda eſt*, inquit, *alia ſanctior & venerabilior hiſtoria, quæ perhibet de ortu ſtellæ cujuſdam, non morbos morteſque denunciantis, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanæ converſationis, rerumque*

 morta-

mortalium gratiam, quam ſtellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldæorum profectò ſapientes viri, & conſideratione rerum cœleſtium, ſatis exercitati, quæſîſſe dicuntur recentis Dei ortum; repertaque illa majeſtate puerili, venerati eſſe & vota Deo tanto convenientia nuncupâſſe. Evangelicam ſane narrationem! ſed quid, an ergo hunc eſſe Platonicum negabimus? quaſi non ſit de Dei deſcenſu Platonis dogma. Deum certe Plato ipſe, Deum, inquam ipſum quem maximè coli volebat, deſcenſurum pollicetur. In ſecundo cum Alcibiade Socratis dialogo, promittit philoſophus diſcipulo. *Aliquem* venturum eſſe, qui eum doceat quomodo ſit precandum; & roganti quis eſſet ille, aut futurus eſſet tantus Doctor, reſpondet Socrates, οὗτός ἐστιν ᾧ μέλει περὶ σοῦ, & mox ἀλλὰ μὴν κἀκεῖνος θαυμαστὴν ὅσην περί σε προθυμίαν ἔχει. Quæ omnia de alio præterquam de Deo nequeunt ullatenus intelligi. Et niſi Platonem hæc ex Judæis hauſiſſe dicamus, omnem prorſus humanam ſapientiam iſtud dogma ſuperabit.

VIII. ἮΝ ΓΑ'Ρ ΠΑΡΑΔΟ'ΞΩΝ "ΕΡΓΩΝ ΠΟΙΗΤΗ'Σ. Sic legunt omnes tum græci tum latini codices, præter unum Voſſianum antiquæ verſionis qui omiſſis præcedentibus hæc ita vertit, *Hic erat mirabilium operum effector.* Quaſi legiſſet in ſuo codice interpres, οὗτος ἦν παραδόξων ἔργων ποιητής. Malo tamen hic vulgatam lectionem ſequi, ea de cauſa quam ſupra protuli.

Digitized by Google

tuli. Negent fortaſſe ſic loqui potuiſſe Joſephum; ſed quid eum a veritate agnoſcenda commoveret? an quiſquam magis infenſus Jeſu Chriſto eſſe potuit quam ipſi Sacerdotes primarii, & Phariſæi, qui eum Pilato tradiderunt in cruce perimendum. Hi autem non negabant Jeſum miracula feciſſe. [c] Τί ποιοῦμεν, inquiunt, ὅτι οὗτος ὁ ἄνθρωπος πολλὰ σημεῖα ποιεῖ. Nemo igitur inter Judæos id tunc pernegabat, Jeſum feciſſe mirabilia opera, cum & Phariſæi, & Judæorum Pontifices, id agnoſcerent. Si autem Joſephus de hac re dubitaviſſet, multi illum ab hac opinione revocâſſent. Tuti ergo ſumus a ſenſu, potuiſſe Joſephum agnoſcere Jeſum multa mirabilia opera feciſſe. Quamobrem potiùs ad cognoſcendum Stylum tranſeamus. Ποιητὴς vox eſt propria & ſignata, ut exemplis non indigeat: reſtat ut ἔργα παράδοξα miracula ſignificare in Joſephi ſcriptis demonſtremus. Illa quæ de Moſe ſcripſit ſunt his rebus aptiſſima Lib. II. cap. 5. De Moſe Rex Pharao inquit, [d] τὸ γὰρ ἐπ' αὐτῷ παράδοξον ἀναφέρων, πιθανὸς ὡς παρ' ἀπαιδεύτοις ὑπάρχειν. Quin & σημεῖα vocantur ἔργα. Paulo enim antè Deus ſic Moſem alloquitur [e] καὶ ἐὰν δέῃ μὲν λόγων, πειθὼ παρέξειν, ἐὰν δ' ἔργων, ἰσχὺν χορηγήσειν. Iſta enim ἔργα ſunt σημεῖα ut paſſim loquuntur Evangeliſtæ. Sic

---

[c] Johan. XI, 47. [d] Pag. 62. B. [e] Pag. 60. G.

etiam poſtea ait, [f] περὶ οὖν τὸ παράδοξον ἀμηχανήσας ὁ βασιλεύς. De Eliſæo dicit, θαυμαστὰ γὰρ καὶ παράδοξα διὰ τῆς προφητείας ἐπεδείξατο ἔργα. Atque hæc ſufficiant ad phraſin iſtam extra dubium collocandam.

IX. ΔΙΔΑ'CΚΑΛΟC ΑΝΘΡΩ'ΠΩΝ ΤΩ͂Ν 'ΗΔΟΝΗ͂ Τ'ΑΛΗΘΗ͂ ΔΕΧΟΜΕ'ΝΩΝ. Qui hanc periocham ſuppoſitionis inſimulant hæc verba vocant, *triſtem & putidam elegantiam*. Iſtam tamen elegantiam non negligit alibi Joſephus, ſed uſum eſſe loquendi modum paſſim oſtendit, & quidem adeò ſæpe, ut nihil ſuprà. Effecit enim ut bene de tota primò ſentirem periocha, & ut pleniorem ejus cognitionem adipiſcerer incitavit. Quo tandem factum eſt, ut qui olim nimium Fabro, aliiſque Teſtimonii adverſariis crederem, nunc ſim factus pro virili defenſor, atque deſpiciam illorum cum temeritate arrogantiam, qui nullis productis teſtibus, volunt tamen ut tanquam jure conſtituta judicia ſuas admittamus ſine ratione conjecturas, factaſque pro lubitu cenſuras. Ut ad noſtram vero ſententiam redeamus, ſtylum illa Joſephi & orationis ſonum cum primis refert, ut nihil magis aptum ſit natum ad cognoſcendum Teſtimonii auctorem. Hanc itaque ſimul & per partes examinare juvat.

---

[f] Pag. 63. B.

X. ΔΙ-

X. ΔΙΔΑ'CΚΑΛΟC. Jeſus ille Naveci filius, Moſis alumnus ac ſucceſſor, ipſe magiſter Hebræorum ſic ſuo loco nuncupatur, nempe Lib. III. cap. 2. [a] κ̀ μωϋσῆ διδάσκαλον τ̃ πρὸς θεὸν ἀσεβείας πεποιημένον. Quibus ſimile eſt quod extat Lib. XVII. cap. 14. [h] τοιαύτης κακίας διδάσκαλον αὐτοῦ γενόμενον. Plura in re non valde neceſſaria referre ſuperſedeo. Sic de Jeſu loquitur Nicodemus, ipſe non magis fortaſſe Chriſtianus, quam Joſephus, [i] οἴδαμεν ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος.

XI. ΑΝΘΡΩ'ΠΩΝ ΤΩ'Ν 'ΗΔΟΝΗ͂ ΤΑ'ΛΗΘΗ͂ ΔΕΧΟΜΕ'ΝΩΝ. Ecquid ſimilius poſſit afferri, quam quod ex eodem Libro, ac capite, ſcilicet XVII. cap. 14. ſum allaturus, αἴτιον δὲ ἦν τ̃ ἀνθρώπων τὸ ἡδονῇ δεχόμενον τοὺς λόγους σὺν τῷ φεγγ- γῷ τ̃ μορφῆς. Res eſt quoàd Joſephum admodum ſimilis, loquitur enim de falſo Alexandro multos ad partes ſuas attrahente. Ubinam vero ſunt illi, qui jam hoc triſte ac putidum aut inelegans dicent? ſed ampliemus uſque judicium: ſi enim cauſa nondum ſit probata, aderunt jam plures teſtes non minus fide digni. Hæc enim inſunt Lib. XIX. cap. 2. [k] Σέντιος μὲν τοιούτοις ἐχρῆτο τοῖς λόγοις, κ̀ τ̃ βουλευτῶν ἡδονῇ δεχομένων, κ̀ ὁπόσοι τῶν ἱππέων παρῆσ. Nec minus apta ſunt quæ leguntur Lib. XVIII. cap. 1. [l] κ̀ ἡδονῇ γδ̀ τὴν ἀκρόασιν ὧν

[a] Pag. 75. A. [h] Pag. 612. D. [i] Johan. III. 2.
[k] Pag. 666. C. [l] Pag. 616. E.

λέγοιεν ἐδέχοντο. Quibus adjungas & hæc è Lib. eodem cap. 4. quod quidem caput noſtram periocham continet. [m] Γυμνοῦντες τὰς σφαγὰς, ἡδονῇ δέξεσθαι τὸν θάνατον ἔλεγον. Et hæc quidem periocham proxime præcedunt. Antequam vero caput illud deſeram, aliud etiam hujuſmodi locutionis exemplum proferam quod iſtam periocham ſequitur & impoſturæ ſuſpicionem omnino diluet, nempe hoc, [n] καὶ δεχομένους τὴν ἱκετείαν ἡδονῇ. Joſephus hic ſanè, ut mihi videtur, quaſi deditâ operâ periocham de Jeſu Chriſto utrinque munivit, eaque indidit monumenta, quibus fœtum ſuum quilibet agnoſceret: quaſi ipſe prævidiſſet, olim tanquam ἀπόβλητον iri ſuſpicatum.

XII. ἩΔΟΝΗ. Familiare hoc verbum Joſepho & fere proprium, niſi dicam eum id à Demoſthene mutuatum eſſe. Etenim affirmare auſim, nullam locutionis ſpeciem ſæpius a Flavio fuiſſe uſurpatam. In prioribus libris Archæologiæ multas præpoſitiones huic voci dedit comites: in poſterioribus verò, ſolam plerumque ponit. Rariùs, idque bis, aut ter cum aliqua præpoſitione. Quandoque utitur τῇ διὰ, ut Lib. I. cap. 18. δι' ἡδονῆς συνάψασθαι συγγένειαν. Quandoque præponit εἰς, ut Lib. III. cap. 4. εἰς ἡδονὴν λαμβάνοντας ἰδίαν. Eſt ubi ἐν adhibet, ut Lib. XI. cap. 4. οὐκ ἦσαν ἐν ἡδονῇ τοῖς

[m] Pag. 621. D. [n] Pag. 622. D.

προσχώροις

περιχώροις ἔθνεσιν. Eſt ubi ἐπὶ, ut Lib. XVIII. cap. 5. καὶ ἐφ' ἡδονῇ τοῦ πλήθους, & ejus libri cap. XI. idque bis, pag. 642. E. & pag. 643. F. in quibuſdam locis apponit κατὰ, ut Lib. XVI. cap. 16. de Herode loquens, καὶ τοῦτο μὲν οὖν καθ' ἡδονὴν τὸ πάντων ἥδιστον Ἡρώδης ἐλάμβανεν. Addit etiam πρὸς, ut Lib. II. cap. 3. πρὸς ἡδονὴν ὑποφέρων. Quorum omnium plura ſunt exempla, quæ jam prætereo; illa enim parum ad rem faciunt. Attamen obſervandum eſt, rectiùs hic legi cum vulgatis exemplaribus ἡδονῇ, quam σὺν ἡδονῇ, prout in Codice Cæſareo, & apud Euſebium in Hiſtoria Eccleſiaſtica & Zonaram. Nam ſanè hæc duo nunquam, quod meminerim, in totis Archæologiæ Judaicæ Libris viginti, nedum in cæteris Joſephi ſcriptis ſimul juncta reperiuntur. Sed ἡδονῇ ut hic, in tertio caſu ſæpiſſime uſurpatur. Soletque Joſephus ſimiles loquendi normas adhibere, ut ὁρμῇ, ὀργῇ & alias hujuſmodi. De ἡδονῇ verò, ut hic in tertio caſu quærant otioſi locos jam deſignandos, quos è pluribus ſelegimus, quique proximi ſunt periochæ falſitatis accuſatæ, Lib. XVII. cap. 7. pag. 591. G. & cap. 8. pág. 595. G. mox eodem capite pag. 597. A. tum etiam cap. 9. pag. 599. B. Deinde prope periocham noſtram, Lib. XVIII. cap. 1. pag. 616. E. quædam etiam periocham ſequuntur; Lib. XVIII. cap. 8. pag. 633. G. Mox in fine capitis pag. 636. D. habes ἡδονῇ φέροντες, quod tan-

tumdem

Digitized by Google

tundem eſt ferè ac δεχόμενοι. Et mox pag. 637. C. ἡδονῇ δεχομένους. Libr. ejuſdem capite 12. pag. 646. C. ἡδονῇ δέχεται· quæ duo exempla ad præcedentem pertinent ſectionem. Denique Lib. XIX. cap. 3. pag. 671. ἡδονῇ μὴ φέρουσῃ ἀρχεαδης. In reliquis Joſephi ſcriptis, quod ut mirum, ita nec ab inſtituto noſtro obſervare alienum eſt, id nuſquam quantum potuerim obſervare reperitur; quamvis ſæpius interſerendi non defuiſſet locus. Semel, idque Lib. II. contra Appionem dixit, ἡδέως δεχόμεθα. Sic igitur quod illi ut putidum rejiciunt, id propter Styli convenientiam potius laudibus cenſeo maximis efferendum. ° Et ſunt tamen qui dicant hanc phraſin Stylum ac ſententiam Chriſtianorum luculentè redolere. Sed fruantur ſuo judicio, ipſoſque ſibi ſine Equite plauſum concitare patiamur.

XIIII. ΚΑΙ' ΠΟΛΛΟΥ'Σ ΜΕ'Ν 'ΙΟΥΔΑ'ΙΟΥΣ, ΠΟΛΛΟΥ'Σ ΔΕ' ΚΑΙ' 'ΕΛΛΗΝΙΚΟ'ΥΣ 'ΕΠΗΓΑ'ΓΕΤΟ. Hanc dicendi formulam, & phraſeos non modò ſonum, ſed & conſtructionem, ac circumſcriptionem, in multis locis obſervat Joſephus. Quoſdam è multis apponam. Et primum quidem ſumam è Lib. III. cap. 13. Ubi de Moſe verba facit, καὶ πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα τεκμήρια τῆς ὑπὲρ ἄνθρωπον αὐτοῦ δυνάμεως ἐστίν. Huic exemplo ſuccedat aliud è Lib. XX. cap. 2. πολλοὺς μὲν ἀνεῖλε, πολλοὺς δὲ ζῶντας ἔλαβεν, αὐτόν

° J. H. Boecler. Ep. ad J. Chr. Wagenſeilium.

τε

τὸ τῶν Ἰουδαίων ζωγρήσαντες, ἀποτέμνουσι τὴν κεφαλὴν καὶ κομίζουσιν εἰς Ἱεροσόλυμα. Ejuſdem Libri capite 4. hoc reperies, καὶ συλλαβὼν πολλοὺς μὲν αὐτῶν ἀπέκτεινε, πλείους δὲ ζῶντας ἔλαβεν. Nec deſunt in libris de Bello Judaico hujuſmodi phraſes, qualis eſt hæc Lib. I. cap. 5. πολλὰ μὲν τὸν Ἀριστόβουλον εἰς τὸ ἦθος διαβάλλων, πολλὰ δ' ἐπαινῶν τὸν Ὑρκανόν, παρήνει δέξασθαι. Quæ ſequitur inſtar omnium eſſe poſſet Libr. IV. cap. 41. ἔνθα δὴ πολλοὶ μὲν τῶν ξένων δορυφόροι, πολλοὶ δὲ τῶν ἐπιχωρίων ἀπώλοντο. Plura poſſem, ſed hæc ſufficiant; præſertim cum phraſis ſit optima. Quidam legunt, πολλοὺς μὲν τῶν ἰουδαίων. Phraſis huic ſimillima occurit in Libro de Vita ſua, † πολλοὺς τῶν ἰουδαίων ἀπέκτεινε. Hujuſmodi quoque multa alibi occurrunt.

XIV. ἙΛΛΗΝΙΚΟΥΣ. Omnes Ethnicos qui Deum verum non colebant, cujuſcunque fuerint gentis, quinetiam Syros, & Phœnices, Judæi ἕλληνας aut ἑλληνικοὺς vocabant; ut ex Evangeliis, & aliis novi fœderis ſcriptoribus ſatis patét. Euſebius hoc loco non legit ἑλληνικοὺς, ſed ἀπὸ τοῦ ἑλληνικοῦ· & in Demonſtratione Evangelica ſic conſtanter legiſſe, non periochas ſolummodò exemplar, ſed & ejus annexa paraphraſis ſatis oſtendunt. Quædam editiones legunt καὶ ἑλληνικοῦ. Utrumque rectum eſt. Quare nihil neceſſe eſt, ut quis Nicephori le-

† Pag. 1003. D.

ctionem,

ctionem, quam ſequitur Iſaacus Voſſius, ἀπὸ τ ἑλλωισμοῦ ſequatur. Frobenii lectionem tuetur hæc phraſis illi ſimilis, Lib. II. cap. 23. de Bello Judaico * τὸ δὲ ἑλλωικὸν (περιεῖχε) τῇ παρὰ τῶν ςρατιωτῶν ἀμωύῃ. Vulgatam lectionem refert quod Lib. II. contra Appionem dicitur, † τοὺς μέντοι κατ᾽ ἀλήθειαν ἐν τοῖς ἑλλωικοῖς φιλοσοφήσαντας, ὅτι τῶν εἰρημένων ὐδὲν διέλαθεν. Ad eundem modum dicitur τὸ ἰυδαικὸν, capite periocham ſubſequente, || κελεύει πᾶν τὸ ἰυδαϊκὸν τ ῥώμης ἀπελαθῆναι. Plura qui volet quærat otioſus; ad alia tranſeo.

Adverſus hanc vocem turget & excandeſcit Blondellus, & quidem ſolus. Credit enim falſum eſſe, immò ipſiuſmet Chriſti verbis & expreſſæ proteſtationi contrarium, cùm de ipſo dicitur πολλοὺς δὲ καὶ ἑλλωικοὺς ἐπηγάγετο. Quos enim gentiles, inquit, ſi unam Syrophœniſſam, cujus filiam ſanavit excipias, convertiſſe legitur? His alia quædam addit de muliere Hæmorrhoouſa, quæ tanti non ſunt, ut vel exſcribere vel reſpondere ſit neceſſe: cùm iſte quidem priùs Teſtimonium damnare voluiſſe; deinde ſui judicii cauſas invenire videatur. Næ tu quidem, O Blondelle, nimis es iniquus in noſtrum, qui ne quidem id quod ratione ac jure quoque licet, eum dicere patiaris; ut quod quis vel per ſe, vel per alios fie-

* Pag. 797. E. † Pag. 1079. E. || Pag. 623. F.

Digitized by Google

ri curaverit, ab ipſo qui curaverit factum eſſe pronuncietur? Sed quid verbis opus eſt? Quaſi Joſephus non ſit intelligendus prout ipſe ſuam mentem aperit, nempe inter ſectatores qui Chriſto partim ex Judæis, partim vero ex Ethnicis nomen dederint, quoſque proinde ille ſibi adjunxiſſe dicitur, concludi quos ipſe Joſephus mox aſſerit ad ætatem uſque ſuam pertigiſſe. Quam iniquum verò in tam paucis lineis, quibus hoc Teſtimonium conſtat, tantam expectare in his rebus ab hiſtorico ſcriptore ſubtilitatem & ἀκρίβειαν? Ut vero etiam ampliùs pateat adverſarios noſtros ſatis inclementer, ne dicam nimis atrociter, nobiſcum agere, & omnia arripere etiam falſiſſima, quæ ad rem ſuam vel facere vel ſolummodò ſpectare videantur: neque tamen vel unum ſuccedere ipſis feliciter; negamus veram eſſe objectionem; ideoque verum eſſe multos ex Ethnicis, Chriſto nondum paſſo, in ipſum credidiſſe aſſerimus.

Nam in quo numero ponemus eos Magos qui ex oriente Chriſtum puerum adoraturi convenerant? Illoſne ſolos qui crediderint ex gente ſua putabimus? ſiccine viros omnium gentium ſapientiſſimos non alios quoque populares adduxiſſe, nedum ut crederent voluiſſe? An cum Eunuchus Candaces Reginæ ſolus ſuffecerit, ut religionem Chriſtianam Æthiopiam uſque tranſmitteret ad hanc ætatem duraturam; non etiam

Digitized by Google

etiam ſufficiebant Magi, ut iſtam religionem ſuos homines, aut ſaltem quaſdam ejus partes docerent? Mihi ſane ſæpiùs mirari ſubit, quorſum iſti Magi Chriſtum officiosè tantum ſalutarent, adorarentque, niſi ejus etiam adventum ethnicis, aut ſuis certe popularibus publicarent? Adeone infructuoſam fuiſſe tantam horùm peregrinationem, ut ad neminem alium hominem, præterquam iſtos, Chriſti cognitio pertingeret: ſed nos hic veteres omnes deſerunt hiſtoriæ: nemo eſt, qui doceat, quid de his tandem factum ſit Magis. At enimvero, ſi fuerit hîc conjecturæ locus, puto me illos reperiſſe homines ad quos hi Magi ſuum præconium pertuliſſe videantur.

Magos è Perſide veniſſe Clementi Alexandrino, Johanni Chryſoſtomo, Theodorito, aliiſque permultis viſum eſt: & hæc opinio jam omnibus reliquis antefertur; cum etiam Herodotus, Suidas aliique, Magos in Perſide collocent. Adhuc verò etiam in Perſide genus hominum reperio indigenarum, antiquum ſane, quos nunc *Gauros* vocant. Hi quoque ſingularem colunt religionem. At vero de Vate aut Propheta ſuo, quem filium ſculptoris fuiſſe, ac religionis ſuæ auctorem perhibent, multa prædicant adeò Chriſti natalibus, Magorumque itineri, denique omnibus illis quæ de Chriſto tum Magi ſcire potuerunt convenientia, ut ab illis Gauri edocti fuiſſe vide-

Digitized by Google

videantur. Nec futurum eſſe quemquam adeò pervicacem exiſtimo, qui collatis ſedulò quæ de his ſcripſit * Joh. B. Tavernerius, vivâ quod aiunt voce ab ipſis edoctus, cum Evangeliſtarum narrationibus de Chriſti natalibus, non etiam ſtatim mecum ſentiat. Habeo certè ipſum Tavernerium ſuper hac re mihi fere conſentientem. Hinc enim, inquit, facile judicatu eſt, eos confuſam de Myſteriis Religionis Chriſtianæ cognitionem habere, ut & multi alii. Habere autem ipſos, hic docet multos ritus aut mores a religione Chriſtiana ſatis alienos, ſed quos etiam profitentur non a propheta ſuo accepiſſe, ſed diù antè acceptos retinuiſſe. Hos vero Gauros eſſe Magorum diſcipulos vel oſtendit quod refert Herodotus, Magos in Perſide fuiſſe & maxime horruiſſe animantia reptilia: quem morem adhuc iſti Gauri conſervâſſe reperiuntur. Eos autem eſſe ſemi-chriſtianos declarat Baptiſmus, & fides de Reſurrectione cum aliis quibuſdam. His addo, Turcos hodie quoque Chriſtianos vocare *Gbiauros*, hoc eſt ut quidam ſuſpicantur lingua Chaldaica גיור vel גורא, qui græce γειῶραι appellantur, Exod. XII. 19. & Eſaiæ Cap. XIV. 1. Ubi ſane nemo eſt qui neget verba Vatis eſſe intelligenda de Chriſtianis. Qui autem *Gauri* vocantur a Perſis, voce fortaſſe Turcicâ, nam

* Itiner. Perſic. Lib. IV. cap. 8. de Gaurorum Religione.

Digitized by Google

nam & illâ plerumque linguâ loquuntur Aulici Perſarum, hi vero ſe Perſicâ *Behdin*, ut ex * Petro Vallenſi diſcimus, nuncupant: hoc eſt *Fideles*, πιστοὺς· voce, qua etiam Chriſtiani paſſim denotantur. Denique quodammodo pro me ſtare videtur † Hottingerus, vir in his rebus ſcientiæ ac peritiæ laude celebratiſſimus, cum aſſerat, *Chriſtianiſmi primitias ex hoc ordine ortas. Unde non pauci poſtea ſecuti Chriſto nomen dederint.* Sed quid iſtum ego recentiorem advoco, cum Johannes ipſe Chryſoſtomus id conceptis verbis aſſerat de Magis in Perſide primis Evangelii præconibus. Sic enim ille, || ὅθεν ἔμοιγε δοκοῦσιν οὗτοι καὶ οἱ διδάσκαλοι γενέσθαι τῶν ἐγχωρίων. οἱ γὰρ ἐνταῦθα μὴ παραιτησάμενοι τοῦτο εἰπεῖν, πολλῷ μᾶλλον εἰς τὴν αὐτῶν ἐπαῤῥησιάσαντο, ἅτε καὶ τὸν χρησμὸν τὸν παρὰ τοῦ ἀγγέλου λαβόντες, καὶ τὴν παρὰ τοῦ προφήτου μαρτυρίαν. Et alibi poſtea, ‡ ἅπερ οἱ μάγοι εἶδον, οἱ τῆς ἐκκλησίας πρόγονοι, οὐδὲ γὰρ αἰσχυνόμαι οὕτως αὐτοὺς καλῶν. Et Homilia proxima de Angelo loquens, qui eis poſtquam Jeſum vidiſſent apparuit, τοὺς δὲ μάγους ἐκπέμπει ταχέως, ὁμοῦ μὲν διδασκάλους ἀποστέλλων τῇ Περσῶν χώρᾳ.

At verò ſi minus hoc ſit verum, non ſic tamen causâ cadimus. Solamne illam fuiſſe

* Epiſt. II. P. II.
† Compend. Theatri Orient. Part II. cap. 2. pag. 93.
|| Hom. VI. in Mat. ‡ Hom. VII.

puta-

putabimus Syrophœniſſam quæ in Chriſtum crediderit, neque aliis è gente ſua perſuaſiſſe ut eum agnoſcerent, qualem ipſa ſummo beneficio atque inſigni miraculo comperuiſſet? Mitto jam Abgarum Edeſſenorum Principem ad fidem in Chriſtum ex ethnico converſum, cujus meminit Euſebius. Licet enim pauci hanc admittant narrationem, non tamen deſunt viri docti qui eam ut veram recipiant. Aiunt quidem non eſſe admittendam quoniam non extet in Evangelio. Sed quid hoc ad rem? quaſi verò omnia quæ Chriſtus dixerit aut fecerit extent in Evangeliis. An ergo mentitus eſt Evangeliſta ultimus qui aſſerit ſe propemodum infinita prætermiſiſſe? At verò non modò hujus converſionis conſtans fuit traditio apud Armenos; ſed & eorum ferunt *Annales, tunc primum Armenos religionem amplexos fuiſſe Chriſtianam. Et an † Samaritæ illi qui feruntur credidiſſe pro Judæis ſunt ſumendi aut Ethnicis? Annon potiùs ex Joſephi ſententiâ inter Ethnicos numerabimus? Sed nequis mihi dicam ſcribat, rogetque ut multos producam Ethnicos ad Chriſti fidem converſos ante ejus necem, idque cognoſcatur ex probatis fidiſque monumentis: eorum votis obtemperabo, modò credant ea quæ ab eo-

* Vid. Tavern. Itiner. Perſic. Lib. II. cap. 4.
† Johan IV. 39.

O dem

dem Evangeliſtâ Johanne cap. XII. com. 20. ſequentibuſque conſcripta ſunt. Hîc enim quidam Græci cupere ut Jeſum viſant feruntur. Hoccine igitur vel animi tantum cauſâ, vel fidei factum fuiſſe comminiſcemur? Utcunque tamen, nonne rectè dicuntur ἐπάγεσθαι, qui animi quoque cauſâ curioſi ad aliquem doctorem accedunt? Pudeat tandem adverſarios illa protuliſſe, ut nobis hanc eripiant periocham præſtantiſſimumque teſtimonium, quæ partim inania, partim etiam falſa eſſe reperiuntur.

XV. ἘΠΗΓΆΓΕΤΟ. Quamquam quæ ſupra dicta ſunt ſufficerent, ineſt tamen huic voci quid peculiare: hoc enim in loco ſignificat, *ad partes* vel *ſectam ac conſilium trahere.* Solet quoque Joſephus alibi hoc verbum huic uſui accommodare. Etenim Lib. XIII. cap. 22. ſic legimus, * οὐκ ἀρχουμένων ἀγωνίζεσθαι κατὰ σφᾶς αὐτοὺς, ἀλλὰ καὶ ἀλλοφύλους ἐπαγόντων. Quin etiam de falſo Alexandro factionem cogente hoc verbo utitur, Lib. XVII. cap. 14. † ἀλλὰ κρήτῃ προσενεχθεὶς, ἰουδαίων ὁπόσοις εἰς ὁμιλίαν ἀφίκετο ἐπηγάγετο εἰς πίστιν. Quo nihil amplius requiri poſſit. Nec admodum eſt diſſimile illud Lib. XVIII. cap. 8. de Agrippâ in vinculâ conjecto, quem ſic alius alloquitur, || ὦ νεανία, καταχθεῖ μὲν σε τὸ αἰφνίδιον τῆς μεταβολῆς, πολλήν τε οὕτως καὶ ἀθρόαν ἐπαγαγὸν τῆς τύχην. Hic enim τύχη tanquam perſona ad

* Pag. 461. D. † Pag. 612. E. || P. 633. G.

partes

partes τῆς αἰφνιδίου τῆς μεταβολῆς attrahitur, ut junctis viribus Agrippam contriſtent. Eſt ubi etiam *ſollicitare* ſignificat, ut Lib. XV. cap. 4. * διὸ ταῦτα καὶ τὸν Ἀντώνιον ἐπῆγεν ἀεί τε τῶν ἄλλων ἀφαιρουμένον αὐτῇ χαρίζεσθαι· de Cleopatra enim Reginâ loquitur.

XVI. ʽΟ ΧΡΙCΤΟʹC ΟΥ̃ΤΟC ἮΝ. Hic eſt ille locus qui potiſſimùm doctos homines induxit, ut totam damnarent periocham. Quid de hoc ſenſerit Faber, cuilibet videre præſto eſt; meum enim non eſt ſingula refutare, neque ſane expedit. Docet enim ipſum Joſephum quod ſcribere debuerit, parum ſollicitus an ſuæ rationes cum illis quas habuit Flavius conveniant. Sed cùm eo tempore quo Joſephus Archæologiam edidit, anno ſcilicet Domitiani XIII. hoc eſt non multo ante centeſimum annum Chriſti, ubique jam perſonaret Chriſti nomen, propter quod tàm multi Nerone Imperante, támque gravia paulò ante paſſi erant; ſatis ut puto fuit Joſepho ſolum nomen Jeſu Chriſti proferre, id eſt autem cum eo cognomine quod paſſim innoteſcebat. Nam hæc verba ὁ χριστὸς οὗτος ἦν niſi fallor, innuere videntur Chriſtum ſatis tunc fuiſſe notum. Quamobrem abunde quidem Græcis ſatisfactum eſt, ubi Joſephus eis oſtenderit eum hominem quem nomine Chriſti ſolummodo cognoſce-

* Pag. 518. A.

rent. Ideoque ex mente Flavii Joſephi non incommodè per alteram formulam hæc explicabitur ſententia: ut ita ὁ χριστὸς οὗτος ἦν, idem ſit quod, ὁ λεγόμενος χριστός. Quomodo etiamnum præſente Chriſto Pilatus eum appellabat, * τί οὖν ποιήσω Ἰησοῦν τὸν λεγόμενον χριστόν. Sic ſæpè vulgo loquuntur, nomen aſſumptum, verène an falſò, tamen ſine correctione aut exceptione efferendo. Profectò Tan. Faber id nunc culpare videtur, quod eſt olim objectum quoque Pilato a Judæis Pontificibus cum titulum Crucis conſcripſiſſet in quam Jeſus eſt erectus, ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων· quod cum Judæi mutatum vellent, non tamen eorum querelis Pilatus movetur. Manſit enim in ſententia. Sed neque Flavium aliter locutum eſſe opus eſt ut cupiamus: ipſe ſe alibi explicat non minus, nec aliter quam Pilatus: cùm quod hîc ſcripſerit per ſe ſatis intelligatur. Nam quidcunque dicant nunquam efficient, ut Judæus nequeat ſic loqui, quantumvis Chriſti adverſarius. Sed & noſtri quoque adverſarii loquuntur aliis in rebus non aliter ac nunc Joſephus, ut libro ſuperiore monebamus. Optimè autem ſenſum hujus loci intellexit Hieronymus ut ex ejus verſione comparebit; vertit enim, *Et credebatur eſſe Chriſtus.* Quam verſionem probat & admittit Iſaacus Voſſius, quaſi

* Matth. xxvii. 17.

in

Digitized by Google

in græco fuiſſet ſcriptum, καὶ ἐπιστεύετο εἶναι χριστός· vel, ut ipſe in Teſtimonio deſcribendo Voſſius inſeruit ἐπιστεύετο ὁ εἶναι χριστός· tametſi ne ſic quidem ſibi ſatis Voſſius fecerit, quin vulgatam lectionem præferat. Quod ad eos verò ſpectat, qui Teſtimonium quidem admittendum cenſent; ſed hanc ſententiam ut interpolatam tolli cupiunt; non magis iſti ſapiunt quam priores, neque eos juvant Cedreni auctoritas & antiquæ Verſionis editio, quorum ille tantummodo videatur hæc verba omittere, hæc vero non tantæ ſit auctoritatis ut cæteris omnibus tum græcis, tum etiam latinis codicibus debeat anteferri. Quapropter nunquam his adductus ſum ut communem lectionem horum auctoritate immutare voluiſſem. Quid enim mirum eſt ſi tam celebris locus, tot doctorum manibus tractatus, & a pluribus exſcriptus, quaſdam ſit paſſus in lectione vel verſione diverſitates?

Operæ prætium erit hîc diluere quod Tanaq. Faber objecit D. Hieronymo; quoniam id ſurpà cùm de illo verba facerem prætermiſi. Ait autem Faber eum doli conſcium, emollire ſua verſione voluiſſe, ſed fraudem eâdem operâ patefeciſſe, quâ illam obtegere ſtuduit. Noſtri ſæculi homines, ut mea quidem fert opinio, eâ mente priſcos auctores legunt, ut culpent. Atque errores, ſi tamen errores quandoque ſunt, notare; non ut vitare, ſed ut ridere atque damnare poſſint. At verò ſi

Digitized by Google

ſatis erit accuſâſſe, quis innocentiâ ſolâ ſe tueri poterit? Sufficiat hîc reſpondiſſe, iſtæc verba longe ante Hieronymi ætatem fuiſſe lecta: neque proinde ſciri poſſe, utrum in Hieronymi codicibus, ut ille vertit, aut velut nos legimus in noſtris lectum fuerit, necne. Quin etiam ſæpe fieri, ut qui in aliam linguam quid vertunt, id plerumque ſoleant, non verbum verbo reddere; ſed prout ipſi mentem ſcriptoris capiunt. Quod ipſum Ruffino atque etiam antiquo Interpreti Archæologiæ accidit, dum uterque verba hæc, οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον, vertunt, *& nomen perſeverat & genus.* Hæc monuiſſe nihil opus fuit, niſi eam mihi legem impoſuiſſem, nequid objectum retorquere prætermitterem.

XVII. ΚΑ'Ι 'ΑΥΤΟ'Ν. Iſtâc loquendi formulâ in principio periodi utitur Joſephus paſſim, tamque frequenter ut pluſquam ſexcenties occurrat. Aliquot hic tantùm, duo vel tria exempla prælibabo. Lib. III. cap. 2. [a] καὶ ταύτην μὲν τὴν μάχην πρώτην μαχεσάμενοι πρὸς τοὺς κατατολμήσαντας αὐτῶν. Lib. XVIII. cap. 12. [b] καὶ αὐτοὺς, παῖδες δ' ἦσαν ὀρφανοὶ, ἡ μήτηρ προσέταξεν. Lib. XX. cap. 2. [c] καὶ τοῦτον δὲ μετ' οὐ πολὺν χρόνον ἐξ ἐπιβουλῆς τελευτήσαντα.

XVIII. 'ΕΝΔΕ'ΙΞΕΙ. Non memini quidem iſtam vocem alibi legi. Sed parùm id obſtat:

[a] Pag. 76. E. [b] Pag. 644. E. [c] Pag. 688. A.

non

non enim eſt è ſingulis verbis adeò certè de Stylo judicare, ac phraſeos conſtructione. Vox tamen iſta cum ſit huic ſignificationi aç loco propria, non eget defenſione; neque uſum hujus vocis poteſt improbare Joſephus cum alias voces, huic tamen cognatas ut idem denotaret, uſurpaverit. Verbum enim huic nomini cognatum plerumque uſurpat, ut Lib. XVII. cap. 1. [d] ὡς ἐπ' ἀσφαλείᾳ σωτηρίας τοὺς ἀδελφοὺς ἐνδεδειχώς. & Libro VI. de Bello Jud. cap. 44. [e] καὶ λῃστρικοὺς πάντας ὑπ' ἀλλήλων ἐνδεικνυμένους, ἀπέκτεινε. Lib. VII. cap. 9. [f] καὶ τοὺς ἄλλους ἐνεδείκνυτο κατηγορῶν. Libro de Vita ſua pag. 1024. ἐνδειξαμένων δὲ τοὺς ἄνδρας, ἐκείνους μὲν δεδεμένους εἰς τὴν ἰωτάπατην πόλιν ἐξέπεμψα. Plura exempla nolo mihi comparare. Sed oſtendam quod olim ſum pollicitus, ſcilicet ſcholium illud quod in Manuſcripto codice legitur, qui fuit olim Peireſcii, quodque produxit Henric. Valeſius. Id autem vocem ἔνδειξιν huic loco maxime propriam eſſe oſtendit. Sic verò ſe habet, ὅτι ἔνδειξίς ἐστι κατηγορίας ὄνομα κατὰ πλειόνων μὲν λαμβανομένη· μάλιστα δὲ κατὰ τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ καὶ πολιτεύεσθαι μελλόντων. Conferri poſſunt ad hanc vocem Grammatici, Harpocration, Etymologus & Suidas, vocibus ἐνδείξις & ἐνδείκνυμι, ubi etiam Suidas Flavii citat ſententiam. Photius de Joſepho atque ejus cognomine Flavio diſſerens, quod ſibi ille Fla-

[d] Pag. 582. C. [e] Pag. 968. C. [f] Pag. 973. C.

 viorum,

viorum, Veſpaſiani & Titi beneficio accepta libertate tribuebat, ſic inquit, * καὶ ἐ μόνον ῥωμαῖον αὐτὸν καὶ Φλάβιον ἀναγράφων ἐδ'αμὲ ξενίας ὁ Ἰώσηπος ἑάλω· καί τοι πολλῶν τῷ φθόνῳ κατ' αὐτῷ βουλομένων ἀλλ' ἐδ' ἔνδειξιν εἰσήχθη· vox ἔνδειξις hîc minus eſt propria: niſi quis dicere voluerit, Photium de Joſepho loquentem, ipſumque hoc Teſtimonium in animo habentem, maluiſſe vocem minùs quidem propriam, ex Joſepho tamen de quo loquebatur mutuatum uſurpare.

XIX. ΤΩ͂Ν ΠΡΩ΄ΤΩΝ ἈΝΔΡΩ͂Ν ΠΑΡ' ἩΜΙ͂Ν. Viros primarios aut Proceres eſt ubi vocat Joſephus τὰς ἐν τέλει, eſt ubi etiam ut hîc. Cùm verò de Judæis loquitur nunquam eos vocat μεγιςᾶνας· at verò cum de alienis res eſt, hanc vocem non reſpuit. Ut verbi gratia Lib. XX. cap. 2. pag. 687. E. ubi de Parthorum primoribus agitur. Quod ad τ̃ πρώτων attinet, habemus multas inſtantias, & quidem noſtræ periochæ proximas. Prima eſto è Lib. XIV. cap. 25. † αἱ τῶν πρώτων καὶ τ̃ γῆς τ̃ αὐτῶν ἔμβλον ἔσεσθ. Lib. XV. cap. 10. || ἐπανιόντων ἀπ' αἰγύπτε τ̃ πρώτων. Sic enim Romanorum Primores nuncupat. Etiam Lib. XVIII. cap. 1. * διαφθορᾶις ἀνδρῶν τ̃ πρώτων. Poſt periocham hæc ſequuntur, Lib. XVIII. cap. 6. † οἵ τε πρῶτοι τ̃ τῇ δὲ ἐκτείνοντο ἀνδρῶν. Quod verò ſequitur aptiſſi-

* Epiſt. CCXLVII. † Pag. 498. F. || Pag. 527. E.
* Pag. 616. E. † Pag. 625. B.

Digitized by Google

mum eſt, Lib. ejuſdem cap. ultimo: * ἐγίνοντο οὖν ἀφ' ἑκατέρων λόγοι, καὶ τῶν πρώτων παρ' ἑτέροις ἀνδρῶν παρακαλούντων ἐπὶ διαλλαγὰς τάχιστα ἡ ξύμβασις ἐγένετο. Epiſtola Petronii Lib. XIX. cap. 6. ſic incipit, Δωριέων τοῖς πρώτοις. Izates Rex Adiabenorum Lib. XX. cap. 2. dicitur miſiſſe dono, † πολλὰ χρήματα τοῖς πρώτοις τῶν ἱεροσολυμιτῶν. Denique Lib. XX. cap. 5. || οἱ δὲ πρῶτοι κατὰ τιμὴν καὶ γένος τῶν ἱεροσολυμιτῶν. Mox etiam, * κατῄει δὲ καὶ τοῖς τῶν Σαμαρέων πρώτοις, καὶ τοῖς ἰουδαίων. Atque hæc hactenus: nam ut alibi ſæpius, ita & libro de vitâ ſuâ frequentiſſime præ cæteris ejus ſcriptis reperitur: quæ autem in medium produxi, ſunt ſatis ad ſtylum ejus declarandum.

XX. ΠΑΡ' ἩΜΙ͂Ν. Parum refert exhibere quoties uſurpetur iſta loquendi formula, Ne tamen plane ſit ἀσύμβολον quædam apponam loca, ubi eo ſenſu eſt uſurpata quo hîc. Lib. III. cap. 10. † τῷ δὲ ξανθικῷ μηνὶ ὃς νισὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται καὶ τοῦ ἔτους ἐστὶν ἀρχή. Lib. XV. cap. 3. || καὶ τῆς σκηνοπηγίας ἐνστάσης, ἑορτὴ δ' ἐστὶν αὕτη παρ' ἡμῖν εἰς τὰ μάλιστα τηρουμένη. De Bello Judaico Lib. III. cap. 25. * τοὺς γοῦν ἀνῃρηκότας ἑαυτοὺς, παρὰ μὲν ἡμῖν, μέχρις ἡλίου δύσεως ἀτάφους κρύπτειν ἔκριναν. Denique libro de vitâ ſuâ ſtatim ab initio,

* Pag. 650. B. † Pag. 686. E. || Pag. 691. G.
* Pag. 692. E. † Pag. 93. A. || Pag. 514. D.
* Pag. 853. A.

* ὥσπερ

* ὥσπερ δὴ παρ᾽ ἑκάστοις ἄλλη τίς ἐστιν εὐγενείας ὑπόθεσις, οὕτω παρ᾽ ἡμῖν ἡ τῆς ἱερωσύνης μετουσία τεκμήριόν ἐστι γένους λαμπρότητος.

XXI. ΣΤΑΥΡΩ͂Ι ἘΠΙΤΕΤΙΜΗΚΌΤΟΣ ΠΙΛΆΤΟΥ. Si quid ſit quod ſtylum Joſepho proprium, ejuſque orationis colorem repræſentet, hoc eſt: nam ἐπιτιμᾶν pro τιμωρεῖν dicere non omnium eſt auctorum. Hoc autem verbum non ſemel eâ ſignificatione uſurpavit Flavius, licet vox illa, & apud eum ipſum, & apud alios plerumque contrarium potiùs ſignificare videatur. Ea enim *objurgare* denotat, quandoque etiam & *honore afficere*, prout & vox † τιμὴ à quâ ἐπιτιμᾶν eſt natum, non ſolum δόξαν ſed & τιμωρίαν deſignat, atque etiam ἀντέκτισιν, quæ propria eſt vocis ſignificatio. Quo autem ſenſu *objurgare* ſignificat, uſurpat Flavius Lib. XVI. cap. 12. || τὸ μὲν ἐπιτιμᾶν, ἢ φᾶναι γενέσθαι τὶ περιττὲς αὐτοῦ τοῦ θέως ἀνοίκειον εἰς τὸν καιρὸν ἡγήσατο. Sed apud Flavium plerumque, ut in hoc Teſtimonio idem eſt ac τιμωρεῖν. Habemus itaque Lib. XIII. cap. 18. * τιμησαμένων αὐτὸν τοῦ μέτρου τῆς δίκης, πληγῶν ἔφασαν καὶ δεσμῶν. Quin Lib. XVIII. cap. 9. dicitur, † καὶ ἡρώδη γυναικείων ἀκροασαμένῳ κουφολογιῶν, δίκην ταύτην ἐπετίμησεν ὁ Θεός. Quo vero capite Teſtimonium exhibetur de Chriſto, ſtatim pòſt bis hoc verbum hac ſignificatione

---

* Pag. 989. A.
|| Pag. 569. F.
† Vid. Heſych. V. τιμὴ & ἐπιτιμᾶ.
* Pag. 453. F.
† Pag. 639. B.

uſur-

uſurpavit. * ἔνδεια σιτίων θάνατον ἐπιτιμᾶν αὐτῷ καλῶς ἔχειν ἐνόμισεν. Atque mox † Μούνδῳ δὲ φυγῆς ἐτίμησεν. Adeo ut, quo tempore teſtimonium iſtud ſcripſit, hanc vocem præ aliis amâſſe videatur. Habemus vero hîc modum pœnæ poſt ἐπιτιμᾶν quarto & ſecundo caſu; ſed in teſtimonio tertium ſubjecit, σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος. Neque deſunt hujuſmodi exempla; Libro enim II. de Bello Judaico & cap. 15. invenimus || ἐπιτιμᾶται φυγῇ. Redeo ad Archæologiam atque librum ipſum quo Teſtimonium continetur. Etenim Lib. XVIII. cap. 6. legimus, * καὶ τιμωρίας τε ἐπετίμα τοῖς ἁλοῦσι, καὶ ἠφίει τοὺς ἀδίκως ἐν ἐγκλήμασι γενομένους. Libro vero de Bello Judaico II. cap. 23. † θάνατον ἐπιτιμῶντες τοῖς πειθαρχοῦσι τῇ Ῥωμαίων ἡγεμονίᾳ. Denique Lib. III. cap. 25. || ἑαυτοῖς βίαιον ἐπιτιμήσομεν, id eſt θάνατον, ut ſenſus poſtulat. Sed neque ubi hoc verbum negligit, ibi quoque nomina aliaſque voces cognatas, cognatæ quoque ſignificationis recuſat. Nam ἀνυποτιμήτως ſic impunè ſignificat, ut Lib. XVI. cap. 13. * ἀνυποτιμήτως τοῦ ἱερόδου πάρεξ ἄγοντες καὶ φέροντες διετέλουν. In libri fine habemus quoque ἀσεβείας τεκμήριον ἀνυποτιμήτου. Nec aliter ἐπιτίμησιν legimus Lib. II. contra Appionem. † οὐδὲ γὰρ τὴν ἀπ' ἀγνοίας ἐπιτίμησιν ἐνέχετο

* Pag. 622. C.
* Pag. 625. G.
* Pag. 571. A.

† Pag. 623. C.
† Pag. 797. C.
† Pag. 1072. C.

|| Pag. 790. D.
|| Pag. 852. C.

καταλιπεῖν :

καΐαλιπεῖν· Et mox ἐπίτιμον, ut * καὶ θάναΐος τὐπιΐιμον εἰ ἐπιχειρήσειεν. Quanquam hic legendum τὐπιΐίμιον videatur: ἐπίτιμος enim aliud eſt. Alibi verò ſæpius ἐπιΐίμιον ut de Bello Jud. Lib. I. cap. 12. † ἐπιΐίμιον τῆς μεΐαβολῆς εἰσεπράξαΐο παρὰ τῶν πολεμίων ἑκατὸν τάλανΐα. Et Lib. II. cap. 10. ‖ μυρίοις γὰρ ἤρκεσεν ἐπιΐίμιον τῆς ἀνοίας τὰ ἀναλώμαΐα. Cui reſpondet in loco Archæologiæ ubi hæc ipſa refert καΐαδίκη. Denique Lib. IV. cap. 22. ὁ καὶ τοῖς αὐτομολοῦσιν ἐπιΐίμιον, θάναΐος ἦν. Ut nemo in poſterum hæc ſtylo Joſephi convenire ſit denegaturus.

XXII. ΟΥ'Χ 'ΕΠΑΥ'CΑΝΤΟ ΟΙΓΕ ΠΡΩ'ΤΟΝ 'ΑΓΑΠΗ'CΑΝΤΕC. Mallem cùm Euſebio utrobique, Iſidoro, Nicephoro, Zonara & Codice MS. Cæſareo legere οἱ τὸ πρῶτον. Etſi poſtea non ſit neceſſe, ut multis lectum eſt, hîc inſerere αὐτὸν· etenim ſuperius αὐτὸν ſequi poſſe ἀγαπήσανΐες exiſtimo. At verò nequeo Euſebii lectionem & aliorum qui legunt ἐξεπαύσανΐο probare: hæc enim vox nuſquam in Flavii ſcriptis quod ſciam comparet. Sed neque Euſebius aliter legiſſe videtur cùm Demonſtrationem Evangelicam conſcriberet, ac in noſtris codicibus jam legatur. Cæterùm formula τὸ πρῶτον ſæpius occurrit, inter alias & Lib. XVI. cap. 16. * λῃσαὶ τὴν τράχωνα καΐοικοῦνΐες πρότερα-

* Pag. 1074. C. † Pag. 737. D. ‖ Pag. 784. B.
* Pag. 576. F.

ράχωνΐα

ϱάκοντα τὸ πρῶτον, εἶτα αὖθις πλείονες, ſic enim eſt legendum, Quod ad τὸ ἐπαύσαντο ἀγαπήσαντες, plurimas hujuſmodi loquendi formulas habemus. Sic dicitur, * οὐ διέλειπε προκαθήμενος, Lib. VI. cap. 10. † τιμῶντες οὐ διέλειπον, Lib. VII. cap. 2. || οὐ διέλειπεν ἐξυβρίζων, Lib. VIII. cap. 4. * οὐ διαλείπουσι περὶ τοῦτο ἐνεργοῦντες, Lib. VIII. cap. 6. & alia hujuſmodi ſexcenta, quæ nunc recenſere nimis eſſet longum. Quod ad ipſa verba ἐπαύσαντο ἀγαπήσαντες: & illa quoque ſæpiùs extant. Satis ſit unum & alterum locum indicâſſe. Sic Lib. VII. cap. 10. ἀγαπᾶν μὲν αὐτὸν τῆς ἁπλότητος καὶ τῆς μεγαλοψυχίας ἔλεγε. Quod ideò contuli quia hic ἀγαπᾶν eſt *mirari* aut probare, ut & in periochâ noſtrâ ſignificare videtur. Quin & in ipſo capite quo periocha continetur legimus, οἱ δὲ, οὐκ ἠγάπων τοῖς ἀμφὶ τὸ ὕδωρ δρωμένοις. Non probabant quæ Pilatus fecerat circa aquam in urbem deducendam. Ad ἐπαύσαντο referantur iſta; Lib. III. cap. 9. Pag. 90. ἐπαύσαντο τοῦ λάμπειν. Lib. XV. cap. 4. pag. 517. A. ἐπαύσαντο μὲν ἐκείνης τῆς ὁρμῆς. Deinde in Lib. de Bello Judaico habemus pag. 738. A. ἐπαύσαντο τῆς πρὸς ἀντιώνιον ὁρμῆς. Pag. 811. E. ἀρχεσθέντες ἀνεπαύσαντο. Pag. 816. F. παύσαντο νεωτερίζοντες. Pag. 817. B. τοῦ φονεύειν ἐπαύσαντο. Sed quid longinqua petimus exempla, cùm &

* Pag. 187. G. † Pag. 217. A. || Pag. 280. A.
* Pag. 284. A.

ipſum

ipſum caput quod Teſtimonium exhibet plura ſuppeditet. Ibi enim legimus, εἰ μὴ παυσάμενοι θορυβεῖν ἐπὶ τὰ οἰκεῖα ἀπίοιεν. Et mox κελεύων αὐτοῦ παύσασθαι τοῦ ἐπὶ τοιούτοις προθυμουμένους. Sic quidem neque hac parte quicquàm a Joſephi ſtylo eſt receſſum. Ut fruſtra ſint, qui in iſtis ſtylum aut orationis colorem deſiderent.

Quod denique ad integram ſententiam attinet: licet phraſis ſit Joſephi, eam tàmen in ſcholis Chriſtianorum natam voluit eſſe * Boeclerus, atque inde ejus originem arceſſendam. Sed profectò nihil hic dicitur quod non alius in ſimili negotio diceret. Quam ſimilis eſt huic Joſephi de Chriſto iſthæc de M. Lutheri morte Jac. † Aug. Thuani ſententia! *Ut certatim*, inquit, *cùm vivum multi complexi, ſic nec morte quidem ab ejus amore divelli potuerunt.* Quam ſimilis, inquam ego, ratio Joſephi cum Chriſto, & Thuani cum illo Patre Proteſtantium!

XXIII. ἘΦΑ΄ΝΗ ΓΑ΄Ρ ἈΥΤΟΙϹ. Non modò de hominibus, ſed etiam de Deo ipſo ſic dicit, phraſin hanc ſervans. Lib. VII. cap. 7. ‖ τῷ προφήτῃ Νάθαν φανεὶς κατὰ τοὺς ὕπνους. Similiter de Deo Solomoni apparente Lib. VIII. cap. 2. his verbis apparitionis modum conſecutus eſt,

---

* Epiſt. ad Chr. Wagenſeilium.
† Hiſtor. Lib. II. pag. 42. Edit. Par. An. CIƆIƆCVI.
‖ Pag. 226. F.

* φανὰς

Digitized by Google

* φανεὶς γὰρ αὐτῷ κατὰ τοὺς ὕπνους ἐκείνης τῆς νυκτός, ἐκέλευσεν αἰτεῖσθαι τινας ἀντὶ τῆς εὐσεβείας δώσειν αὐτῷ δωρεάς. Sic quoque Lib. XIII. cap. 20. † φανέντα κατὰ τοὺς ὕπνους αὐτῷ τὸν θεὸν ἐπηρώτα. Sic denique Lib. I. contra Appionem de Iſide, ὅτι κατὰ τοὺς ὕπνους ἡ Ἶσις ἐφάνη τῷ Ἀμενώφει. A ſtylo itaque ſalvi ſumus.

Verumtamen improbat hanc ſententiam Tan. Faber ; licet non diſertis verbis, tranſverſo tamen impetens jaculo. Nam cùm Euſebium hujus, ut ſibi videtur, impoſturæ accuſaverit, eumque ſcriptum a Joſepho vituperium in Jeſum Chriſtum mutâſſe ſuſpicetur in laudem ; huc uſque non ſubſiſtit ; ſed tantum abeſt ut hoc admittat tam celebre de Chriſti reſurrectione teſtimonium, ut potiùs hujus periochæ, ac ſpeciatim hujus ſententiæ loco, olim plane fuiſſe contrariam ſuſpicetur. Atque pro eo quod hic de Chriſto dicitur, eum tertiâ die vivum diſcipulis ſuis apparuiſſe, contendit a Joſepho deſcriptum eſſe illud Sacerdotum Judæorum commentum, quaſi Chriſtus clam per diſcipulos ſuos ex ſepultura fuiſſet ſublatus. Cujus commenti meminit Evangeliſta Matthæus. His quoque addit Juſtini Martyris tempore, ut ex ejus Dialogo cum Judæo Tryphone conſtat, eadem adverſus Jeſum dici ſolita ; quibus ut puto innuit, Jo-

* Pag. 255. E. † Pag. 455. C.

ſepho

ſepho noſtro intermedio viventi tempore eandem placuiſſe rationem. Sed fugit eum ratio. Nam illa ex quibus hoc inſtruxit argumentum, partim quidem dubia, partim verò etiam falſa ſunt. Primum enim dubium eſt quomodo ſit intelligendus Matthæus ubi dicit, * καὶ διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος παρὰ ἰουδαίοις μέχρι τῆς σήμερον. Quidam enim intelligunt ut λόγος οὗτος ſit ea fama mendax de corpore Chriſti per Diſcipulos ſubſtracto: quam famam divulgâſſe ſacerdotes Judæorum miſſis per orbem univerſum nunciis ex Juſtino diſcimus. Alii verò ſic intelligunt, hanc Sacerdotum fraudem hucuſque non latuiſſe, ſed ſparſum fuiſſe de fraude rumorem. Uti verò Grotius priorem explicationem præfert; ita ſane neutiquam poſteriorem improbat. Quanquam autem Sacerdotes nuncios miſerint; ecquid abſurdum hoc mendacium in publicum tandem emanâſſe, atque ſtatim ut mendacium fuiſſe compertum. Hinc factum eſt, ut plurimi Judæorum initium nacti converſionis in Chriſtum crederent, atque Sacerdotum multi. Quod utique verum eſſe teſtatur † Lucas in Actis Apoſtolicis. Nam Pilatum doli conſcium tandem fuiſſe conſtat ex Tertulliano; cùm ſit admodum veriſimile Tiberium Cæſarem id ex ipſo nec alio cognoviſſe, & adver-

* Cap. xxviii. 15. † Act. Ap. vi. 7.

ſarii

Digitized by Google

ſarii id quoque fateantur. Ridet hoc * Tanaquillus Faber, dicitque falſum eſſe Tertullianum, qui hanc narrationem ex Actis Pilati hauſerit. Sed bis peccat Faber, cùm hæc Acta Pilati prorſus omnia falſa fuiſſe prædicet, tùm etiam quod aſſerat Tertullianum ex his totum pendere. Quaſi Tertullianus non potuiſſet Tiberii commentarios ac Senatus Conſulta conſulere. At verò in dubium fides Tertulliani acutiſſimi ſcriptoris doctiſſimique revocatur. Sic nempe ſolent Athei, aliique religionis hoſtes. Sibi non eſſe veriſimile comminiſcuntur quod diſplicet, adeoque falſum. Sed ſi hoc admittamus, quid erit tandem vel in religione vel in hiſtoria fide dignum? Satis hoc ſit, cùm vir doctiſſimus Johannes Pearſonus Epiſcopus Ceſtrienſis hujus loci Apologiam conſcripſerit in operibus poſthumis. Unum hic tantum monebo de Actis illis Pilati, quæ rejicit Faber, atque quidem ſine ullâ quantum video ratione, Diocletiano & Maximiniano Coſſ. Maximum Præſidem Numerianum hæc † Acta Pilati pro genuinis agnoviſſe, prout fidem faciunt paſſionis Tarachi Probi & Andronici Acta, genuina illa quidem quæ in lucem edidit Bigotius. Si igitur hæc vera fuerint, atque Pilatus Chriſtum reſurrexiſſe reſciverit, patefactâ demum Sacerdotum fraude, quidni

* Lib. 2. Epiſt. 12. † Pag. 280.

Joſephus id quoque nunc agnoſceret, quod & multi Romanorum ſcire potuerunt? Quanquam ille fraudem Sacerdotum, ut eorum exiſtimationi conſultum iret, prætermittens, rem potiùs dixerit. Utique enim ſit potiùs veriſimile, Sacerdotes Judæos, cùm rem ipſam occultare non poſſent, dolum etiam diſſimulâſſe. Eſt tamen quòd opponat Tanaq. Faber, * ait enim ex Juſtini M. Dialogo cum Tryphone conſtare ſuo tempore hoc commentum perduraviſſe, idque duobus in locis aſſeri. Hoc eſt falſum illud quo argumentum ſuum aſtruit. Nego ita factum eſſe a Juſtino. Extant hi loci niſi fallor, alter pag. 181. Editionis Sylburgii, & alter pag. 262. neuter verò id ait quod vult Faber. Hunc quia alterum etiam in ſe continet hîc apponam. *καὶ οὐ μόνον οὐ μετενοήσατε, μαθόντες αὐτὸν ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν, ἀλλ' ὡς προεῖπον, ἄνδρας χειροτονήσαντες ἐκλεκτοὺς, εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐπέμψατε, κηρύσσοντας ὅτι, Αἵρεσίς τις ἄθεος καὶ ἄνομος ἐγήγερται ἀπὸ Ἰησοῦ τινὸς Γαλιλαίου πλάνου· ὃν σταυρωσάντων ἡμῶν, οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ κλέψαντες αὐτὸν ἀπὸ τοῦ μνήματος νυκτὸς, ὁπόθεν κατετέθη ἀφηλωθεὶς ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, πλανῶσι τοὺς ἀνθρώπους λέγοντες ἐγηγέρθαι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, καὶ εἰς οὐρανὸν ἀνεληλυθέναι.* Juſtinus alloquitur Judæos qui Chriſtum cruci affixerant, eos verò tanquam in Tryphonis perſona præſentes. Hinc autem

* Epiſt. XLIV. Lib. I. pag. 149.

famam

famam iſtam ejus tempore celebratam aſſerere à vero eſt alienum.

Fabro diſplicet Joſephus quod verum dixerit: quid ſi falſum quid dixiſſet de Chriſto? Forſan tum quidem placuiſſet. Conjecturam noſtram firmat ejus de Johanni Baptiſtæ exhibito teſtimonio judicium. Impenſè laudat illud Faber; ineſt tamen meâ ſaltèm ſententiâ in ſignis ignoratio veritatis. Conſentiunt Evangeliſtæ Marcus & Lucas, Paulus etiam in Actis Apoſtolicis, Johannem prædicâſſe βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Omnes oculati teſtes pluris quam Joſephus faciendi. Ille autem diſertim hoc negat; ait enim de Johanne, * οὕτω γὰρ καὶ τὴν βάπτισιν ἀποδεκτὴν αὐτῷ φανεῖσθαι μὴ ἐπὶ τινῶν ἁμαρτάδων παραιτήσει χρωμένων, ἀλλ' ἐφ' ἁγνείᾳ τοῦ σώματος, ἅτε δὴ καὶ τῆς ψυχῆς δικαιοσύνῃ προεκκαθαρμένης. Hîc itaque quia ſacris ſcriptoribus adverſatur Joſephus, plauditur: Illîc quia conſentit, improbatur. Verum de Chriſto teſtimonium vocatur *Nænia*; hoc de Johanne falſiloquium, *Luculentiſſimum teſtimonium.* Exclamat tandem Faber, *Quid quæſo ſimile eſt inter illam de Chriſto næniam, & hoc luculentiſſimum teſtimonium?* Nihil ſanè, aut potiùs quantum eſt inter verum & falſum ſimilitudinis. Cogitanti mihi quî factum fuerit, ut Joſephus, qui non potuerat neſcire

---

* Lib. XVIII. cap. 6.

Digitized by Google

qualis eſſet Johannes, tàm inſigniter in ipſo doctrinæ Johannis fundamento falleretur, tandem in mentem venit, hîc ut ſæpe aliàs Joſephum res ſuas agere. Eſſenorum enim opinionibus imbutus quo ſcripſit tempore, inſignem hunc virum ad partes ſuas attrahere conatus eſt. Nam quod dicit de Johannis baptiſmo, dogma eſt Eſſenorum. Vide ſodes Joſephi de Bano ac ejus inſtitutionis ratione teſtimonium in Libro de Vita ſua. Ut autem quam mitiſſimè de Joſepho ſtatuamus, forſitan ſatis erit dixiſſe, Joſephum cum audiviſſet Johannem cæteris in rebus ferè cum Eſſenis conſenſiſſe ut etiam baptiſmum inſtituerit, ſtatim inde ſine longiore inſtitutâ ſuper hac re quæſtione, anſam arripiendo dixiſſe, Johannem eâdem de cauſâ lavâſſe qua Eſſeni.

His ita conſtitutis, quid verò tandem de Origenis ſuper hac quæſtione verbis credendum eſt? Is enim in ſuis Archæologiæ codicibus aliter legiſſe videtur. Nam Joſephum producit de Johanne B. loquentem tanquam * *καθάρσιον τοῖς βαπτισαμένοις ἐπαγγελλομένῳ*· atqui *καθάρσιον* eſt peccatorum expiatio, quod negat diſertis atque conceptis verbis Joſephus. Vel igitur dicendum Originem hîc memoriâ lapſum & nimis properantem hæc deſcripſiſſe, vel ſaltem codices noſtros ejus eſſe integriores.

* Lib. I. contra Celſ. pag. 35.

Magis enim placet Joſephus cùm Johannem Baptiſtam ad ſuam, hoc eſt Eſſenorum ſectam & ſententiam conatur attrahere. Sic enim moribus ſuis magis eſt obſecutus. Sed redeo jam ad inſtitutum meum; nam omnes Fabri errores hac in parte confutare immane quantum hanc orationem produceret.

XXIV. ΤΡΙ'ΤΗΝ 'ΗΧΩΝ 'ΗΜΕ'ΡΑΝ ΠΑ'ΛΙΝ ΖΩ͂Ν. Cum iſthæc ſententia ſit de illis rebus quæ ſemel acciderunt; adeoque ſententia ipſa τῶν ἅπαξ λεγομένων neceſſe eſt, ut ſit; quia ſolus Chriſtus tertiâ die vivus reſurrexit, fruſtra eſſem ſi apud Joſephum plures hujuſmodi phraſes quærerem. Licet autem non defuerit occaſio hac uti phraſi cum de miraculis Eliæ ac Eliſæi diceret, ſed cum Joſephus copiâ verborum uti ſoleat, nihil mirum ſi pluribus loquendi modis hæc efferat. Sic igitur uſurpat primo vocem * ἀνεβίωσεν; deinde verò † ἀναζῶ πυρῆσαι. Habeo tamen phraſin huic ſimilem: nam Lib. III. cap. 14. de Bello Jud. dixit, καὶ τοῖς ποσὶν ἐμπλεκόμενοι πάντες εἴχοντο. Satis hæc ſit ad ſtylum & orationis ſonum demonſtrandum; etenim verba ἔχων πάλιν ζῶν ſunt ſimilia verbis ἐμπλεχόμενοι εἴχοντο quoad loquendi modum, qui prorſus alias græcus eſt.

---

* Lib. VIII. cap. 7. † Lib. IX. cap 5.

Digitized by Google

Levius erit igitur fortaſſe animadvertiſſe, ſi chriſtianus hoc teſtimonium inſeruiſſet, vix aut ne vix quidem uſus eſſet hâc locutione, ut Chriſtum reſurrexiſſe diceret. Cùm enim iſti de hâc re loquuntur, Chriſtum dicunt ἀναστῆναι & ἀναστήσεσθαι & ſimilia. πάλιν ζῶν non eſt Chriſtiani, ſed hominis non multum cum Chriſtianis verſantis, qui hunc loquendi modum rariùs aut nunquam uſurpant. Unum tamen hic magnique momenti monendum duco; & hæc & alia quæ ſequuntur ſatis commodè interpretari poſſe, quaſi Joſephus ex Apoſtolorum Chriſti mente loqueretur: hoc autem ſatis innuunt verba præcedentia ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς. Adeoque ipſum ſic ſenſiſſe nondum patet. Ipſis, inquit, apparuit Jeſus iterum vivus, penes eos fides eſto; ego me quidem indicem tantum ſtatuo, non judicem.

XXV. ΤΩ͂Ν ΘΕΙ'ΩΝ ΠΡΟΦΗΤΩ͂Ν ΤΑΥ͂ΤΑ ΚΑΙ' Ἄ́ΛΛΑ ΜΥ'ΡΙΑ ΘΑΥΜΑ'ΣΙΑ ΠΕΡΙ' 'ΑΥΤΟΥ͂ 'ΕΙΡΗΚΟ'ΤΩΝ. Nulla eſt hic exemplarium varietas, niſi quòd τὸ, μύρια abſit in aliquot codicibus, quod licet abeſſe poſſit ſine ſententiæ detrimento, eſt tamen omninò in hac locutione retinendum. Singula hujus ambitûs aut periodi verba etiam alibi ſæpiùs extant, quæ jam non afferam, contentus monuiſſe τὸν χαρακτῆρα τῆς λέξεως extare Lib. XVIII. cap. 10. de Appione Mundi Cymbalo πολλὰ δὲ καὶ χαλεπὰ Ἀπίωνος εἰρηκότος. Itemque Lib. II. contra Appionem,

τ͂ καλη-

τῶν κατηγόρων ὅτι νεώτατόν ἐστιν εἰρηκότων. Atque hactenus de ſono ac ſtructura orationis. De ſenſu ac ἐννοίᾳ alia res eſt. Hoc enim, ſiquid alias, naſo ſuſpendit Faber. Inquit enim, *quid dicas aliud, quam eum a quo hæc ſcripta ſunt,* εἰς ἄρκον μωρίας ἐλάσαι; Satis quidem dicaciter, ſed parum verecundè. Quia hæc vera ſunt, nimis excandeſcit Faber, ſi falſa fuiſſent, probaret. Licet autem iſthæc ex iis quæ ſuperiore ſectione diximus defendi poſſent, alium tamen hîc ordinem perſequar. Ut igitur hoc nunquam Joſepho in mentem veniſſe probet Faber, ſatis eſt illi dixiſſe, *Joſephum fuiſſe Sacrificatorem, ideoque ut par eſt, religionis Judaicæ tenaciſſimum: Deinde ſectâ Phariſæum & reliqua.* Et Joſephum & Sacrificatores Phariſæoſque Judæos probè cognôſſe vult videri Faber, cùm tamen nobis nullos horum ſatis nôſſe videatur. Quaſi verò non multi è Sacerdotibus in Chriſtum, uti ſupra dixi, credidiſſent, qui tamen non deſerebant avitam religionem. Undenam ergo tam crebræ Pauli Apoſt. & aliorum diſputationes, niſi ex eo quod plurimi Chriſtiani nollent religionem deſerere judaicam. Et quaſi multi non etiam in Chriſtum crederent, qui nollebant ejus amplecti ceremonias. Quaſi mentitus ſit Lucas in * Actis Apoſtolicis qui aſſerit multos ſectâ

* Act. 15. 5.

Phariſæos fidem recepiſſe Chriſtianam, quanquam vellent etiam fideles ex Ethnicis converſos circumcidi, legeſque obſervare Moſaicas. Quo ſatis patet ipſos neutiquam ejus legis obſervationem neglexiſſe, quàm aliis impoſuere celebrandam. Quaſi etiam mentitus ſit idem, cum *Sacerdotum multitudinem Chriſto fidem habuiſſe aſſerit. Porrò ſatis clara ut puto ſunt hæc Juſtini M. verba quæ; ut vidit Faber, ita certè diligentiùs conſiderare debuit. ||ἐπειδὴ ἔγνωκατε αὐτὸν ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν, καὶ ἀναβάντα εἰς τὸν οὐρανόν, ὡς αἱ προφητεῖαι προεμήνυον γενησόμενον, οὐ μόνον οὐ μετενοήσατε ἐφ' οἷς ἐπράξατε κακοῖς, ἀλλὰ ἄνδρας ἐκλεκτοὺς ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ ἐκλεξάμενοι τότε, ἐξεπέμψατε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν, λέγοντες, αἵρεσιν ἄθεον χριστιανῶν πεφηνέναι. Quamobrem ut ſunt qui veritatem tametſi, non inſcii, non tamen agnoſcant; ſic & alii eſſe poſſunt, qui eam quidem agnoſcant, nec tamen ejus ita rationem habeant, ut jam inſtitutum vitæ ordinem non ampliùs perſequantur.

Quid verò de Nicodemo non ſolùm Phariſæo è ſed è Primoribus Populi, ex eorum numero quos gentis ſuæ πρώτους ἄνδρας Joſephus nuncupat, & Evangeliſta Johannes ἄρχοντα τῶν ἰουδαίων, dicam? Hunc quidem recentiores Judæi ſuum eſſe fatentur, atque in eo ſe imprimis efferunt. Hic autem, licet Judæus, ſic

---

* Act. VI. 7. || Dial. cum Tryph. pag. 181. Ed. Sylb.

de

de Chriſto ſentiebat: * *οἴδαμεν*, inquit, *ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος. οὐδεὶς γὰρ ταῦτα τὰ σημεῖα δύναται ποιεῖν ἃ σὺ ποιεῖς, ἐὰν μὴ ᾖ ὁ θεὸς μετ' αὐτοῦ*, Quam ſimilia ſunt iſta verbis Juſtini Martyris atque id quod Martyr ille dixit de Judæis comprobantia. Undè autem illud *οἴδαμεν* niſi ex prophetiarum cum Chriſti geſtis collatione? Quid etiam ſimiliùs Flavii teſtimonio quam ſit hæc ad Chriſtum ſalutatio cùm laude celebrata? Non legimus tamen hunc Nicodemum relictâ reipublicæ Judaicæ adminiſtratione, totum ſe religioni Chriſtianæ colendæ dediſſe. Quæ cùm ita ſint, licet iſte non ſit amplexus Evangelii prædicationem, non tamen veritatem occultare voluiſſe reperitur. Ergo quis non videat, verbi gratiâ, hæc Theodoriti quæ de Joſepho ſcripſit, ſimiliter poſſe Nicodemo accommodari, *τὸ μὲν χριστιανικὸν οὐ δεξάμενος κήρυγμα, τὴν δ' ἀλήθειαν κρύπτειν οὐκ ἀνεχόμενος*. Quibus ferè reſpondent, licet obſcuriùs aliquanto, Origenis de Flavio verba, *τὸν Ἰησοῦν ἡμῶν οὐ καταδεξάμενος εἶναι χριστόν*. Quod ſi vel Origenes vel Theodoritus hæc de Nicodemo ſcripſiſſent, non dubito quin pari ratione, nec minore jure exortus eſſet aliquis Faber, qui contenderet fraudem D. Johannis Evangelio fuiſſe factam, eâ de Nicodemo interpolando, quæ homini Phariſæo, & Populi

* Joh. III. 2.

Judaici

Judaici principi, ex hujuſmodi Fabri ſententiâ nullatenùs convenire potuiſſent. Si verò Nicodemi verba cùm Joſephi de Chriſto teſtimonio componere vellem, amplius quid dixit Nicodemus quam Joſephus. Nam ἀπὸ θεοῦ διδάσκαλος, magis eſt quam διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τ' ἀληθῆ δεχομένων. Itemque σημεῖα ἃ σὺ ποιεῖς non minus eſt quam ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής. Denique, ὁ θεὸς μετ' αὐτοῦ, longè magis eſt quam quod in Teſtimonio Flaviano dicitur de Prophetarum vaticiniis. Quin etiam, ut mea quidem fert opinio, verba illa ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος ſunt quaſi Moſis vaticinii explicatio, Deuteronomii cap. XVIII. 15, 18. Ubi Vates quidam promittitur qui Judæos doceat, quemque ſint audituri ſi ſalvi eſſe velint. Hoc enim tam celebre vaticinium ſemper eos in ore habuiſſe patet; At verò verba Nicodemi auguſtum quid ſonant ac ſacrum, & multo quidem præſtantiora ſunt quam cum noſter dixerit dubitans, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή. Nec minus eſt illud Nicodemi ὁ θεὸς μετ' αὐτοῦ quam quod de Moſe noſter dixit, τῆς ὑπὲρ ἄνθρωπον αὐτοῦ δυνάμεως. Siquis autem vellet in dubium iſtæc Nicodemi verba revocare, conjecturam ſuam firmare viderentur ea quæ Nicodemus hic dixiſſe fertur, nemini præterquam pauciſſimis Chriſti diſcipulis fuiſſe patefacta. Quapropter iſthæc cum noſtra de Chriſto periocha ex Joſepho componenti videretur longè periocha

Digitized by Google

cha noſtra veriſimilitudine præcellere, illa de Chriſto quæ omnes ſciebant referens, hancque de Nicodemi teſtimonio in Johannis Evangelio periocham poſt ſe relinquere; cùm hæc ea quæ pauci tantummodo è Chriſti diſcipulis reſciverint, contineat; illa verò de Chriſto, quæ omnes tum ſcirent, referat. Sicque tandem videmus in quantas hujuſmodi rationes nos præcipitent abſurditates. Quid non audebimus, quid non conabimur, non omnibus hiſtoriis ſolùm, ſed & ſacris literis injurium? Nihil itaque vetat quin Joſephus Sacerdos, quantumvis religionis Judaicæ tenaciſſimus, atque ut iſti volunt Phariſæus, ea quæ in iſtâ leguntur periochâ de Jeſu Chriſto cogitaret, aut ſcriberet.

Nondum tamen hic pedem figo. Erunt enim fortaſſe qui nihil me profeciſſe exiſtimabunt, niſi etiam oſtendero Joſephum non aliter ſenſiſſe de Meſſiæ aut Chriſti adventu ex vaticiniis innoteſcente, quam hîc ferè hoc Teſtimonio eſt conſecutus. Id verò ſic conficio. Primum autem quid de ſuâ vaticiniorum ſcientiâ ſenſerit ac cognitione videamus. Poſtquam itaque in manus Romanorum captus veniſſet, dicit ſe ſomnium habuiſſe, quo Deus ſuum ipſi fatum, & Romanorum futurum imperium ac victoriam oſtenderet. De hoc negotio autem ſic verba facit, de ſeipſo loquens Libr. III. cap. 24. de Bello Judaico,

daico * ἦν δὲ περὶ κρίσεις ὀνείρων ἱκανὸς, συμβάλλειν τὰ ἀμφιβόλως ὑπὸ τοῦ θείου λεγόμενα· τῶν γε μὴν ἱερῶν βίβλων οὐκ ἠγνόει τὰς προφητείας, ὡς ἂν αὐτός τε ὢν ἱερεὺς καὶ ἱερέων ἔκγονος, ὃς ἐπὶ τῆς τότε ὥρας ἔνθους γενόμενος, καὶ τὰ φρικώδη τῶν προσφάτων ὀνείρων σπάσας φαντάσματα, προσφέρει τῷ θεῷ λεληθυῖαν εὐχήν. Quo quidem argumento utitur Johannes in ||Evangelio de Caiaphâ Pontifice loquens. Ex oratione verò quæ verba Flavii ſequitur eum reſciviſſe gentis ſuæ perniciem futuram patet. Porrò erit etiam operæ pretium ſcire annon cæteri quoque Judei id æquè noverint. Hoc autem ſic fuiſſe cognitum ipſe teſtatur Flavius in oratione ad Judæos, quæ extat Lib. VI. cap. 8. de Bello Judaico. † τίς οὐκ οἶδε, inquit, τὰς τῶν παλαιῶν προφητῶν ἀναγραφὰς, καὶ τὸν ἐπιρρέποντα τῇ τλήμονι πόλει χρήσιμον, ἤδη ἐνεστῶτα. Inde patet quoque vulgatam fuiſſe hanc Judæorum, de melioribus ſaltem loquor, expectationem ac vaticiniorum expoſitionem. Ut autem ſciamus, unde hanc ſcientiam ſumſerint vel Joſephus vel Judæi, his omninò ſunt ſequentia verba ex Archæologiæ Lib. X. cap. ultimo conferenda. Sic enim re miſtam definit Flavius, τὸν αὐτὸν δὲ χρόνον Δανιῆλος καὶ περὶ τῶν ῥω-

* Pag. 851. D. || Joh. 11. 51.

† Pag. 948. F. ubi legendum videtur χρησμὸν, niſi mavis τὸ χρήσιμον ἐνεστός.

μαίων

Digitized by Google

μαίων τῆς ἡγεμονίας ἀνέγραψε, καὶ ὅτι ὑπ' αὐτῶν ἐρημωθήσεται. Si quis autem hæc cum Danielis verbis capite IX. 25, 26. conferat, a quo illa mutuatus eſt Flavius, ſtatim videbit aliter fieri non poſſe quin Joſephus crediderit Chriſtum jamdudum veniſſe; nec ſolummodò veniſſe, ſed etiam è medio ſublatum fuiſſe. Nam quocunque modo verba Danielis exponantur, aliud nunquam ex illis efficient. Quapropter noſtræ ætatis Judæi Danielem rejiciunt: nam ſtantibus ejus vaticiniis, nequeunt ſane Judæorum ſtare rationes. Qui verò Danielem admittunt, illi hoc in loco de Chriſto ac ejus nece prædictum eſſe fatentur. Stultum igitur eſſet credere Joſephum, qui tam bene numeros Danielis prophetiarum alibi ſit conſecutus, hîc tam longe à vero aberrare. Iſtud ſanè conſtat, ut probavit * Iſaacus Voſſius, Flavii Joſephi calculum optimè cum Danielis Hebdomadibus congruere. Hinc itaque liquidò cognoſcitur, etiamſi verba iſta de Chriſto apud Joſephum non extarent, illum tamen de Servatore noſtro ita ſenſiſſe, ut eum verum Meſſiam fuiſſe crediderit. Dices, cur non igitur factus eſt Chriſtianus? rectè quidem id quæſitum eſt. Sed aliud eſt Chriſtum Jeſum pro Vate ac Meſſiâ agnoviſſe, aliud eſſe Chriſtianum. Fuiſſe quoſdam qui cum prius cre-

* Lib de Sibyllin. Oracul. cap. XI.

derent,

derent, neque tamen eſſent Chriſtiani declaravi, atque exemplis ut puto ſatis lucidè demonſtravi.

Si quis tamen objiciat Joſephum exſtimâſſe Veſpaſianum fuiſſe illum Chriſtum: næ ille Flavium Joſephum Danieli atque ſuis opinionibus manifeſtò contradicentem affirmaverit. Etenim ex Daniele patet, Chriſtum de medio tollendum eſſe antequam everteretur Templum & Urbs Hieroſolyma. Nihil clariùs admittenti Danielis Vaticinia, eorumque divinam auctoritatem; longè aliter ac nunc Judæi ſoleant hodierni, qui Vatem eum fuiſſe negant; vel ſaltèm, ut ſuam malitiam *diſſimulent*, poſtremo inter Vates collocandum loco ſentiunt. At verò Veſpaſianus diù poſt everſam Urbem ac Templum imperavit. Quis ergo tam ſtultum eſſe credat Flavium ut hoc in ſe abſurdum admitteret? Quapropter Joſephus id ex animo non dixit. Licet autem veritatis in hiſtoriâ ſit amantiſſimus, cùm tamen hos de Bello Judaico libros conſcriberet, ut Veſpaſiani libertus, ita ſanè verò comparatus fuit ut tantiſper fortunæ ſuæ ac temporum rationibus inſerviret. Adulatur ubique Veſpaſiano ò quo multis eſt affectus beneficiis; neque auſus eſt aliter famam illam de Rege magno futuro exponere quam de Veſpaſiano; iſque eſt ut puto qui Suetonio ac Tacito Hiſtoricis anſam dederit hanc quoque famam de

Veſpa-

Veſpaſiano filioque Tito interpretari; cum * Tacitus hoc & alia ſimillima ex Joſepho exſcripſiſſe videatur. Ergo Joſephum nihilominus aliter ſenſiſſe de his rebus perſuaſum habeo, cum nemo Judæus unquam id de aliquo Ethnico crediderit, quia conſtans fuit fama Chriſtum illum fore de tribu Judæ, ac ſtirpe quidem Davidicâ. Ea enim erat Scribarum in concionibus doctrina, ut declarant Evangeliſtæ. Conferenda ut hoc pateat, ſunt loca ſequentia Matthæi cap. XXII. 42. & Marci cap. XII. 35. atque cum Vaticinio Eſaiæ cap. IX. 7. comparanda. Quinetiam ſic ſenſiſſe Joſephum hinc licet ſuſpicari, quod Veſpaſianus ipſe ſic putaverit: † adeo ut omnes è genere Davidis ortos tolli curaverit, ne quis in poſterum è regiâ ſtirpe ſupereſſet facem ſeditioni præbiturus. Quæro jam unde Veſpaſianus ſpem Iſräelis ac Vaticiniorum ſenſum cognoverit, niſi dicamus eum vel ex Judæis vel ex Joſepho ipſo didiciſſe. Quæ quidem fama eſt Domitiano imperante renovata, ſed ſine ullâ ſanguinis effuſione. Ut nemo tandem ſit adeò pertinax ut Joſephum ſic fatuum fuiſſe cogitet, ut crederet Imperatorem Romanum futurum eſſe Judæorum, quem ipſi expectabant, Meſſiam. Aut quaſi etiam Ro-

* Hiſtor. Lib. V. Edit. Par. pag. 119.
† Euſeb. Hiſt. Eccl. Lib. III. cap. XI.

mani

Digitized by Google

mani Imperatores non fuiſſent æquè Judææ Domini, etiam ante Veſpaſianum, ac ſunt facti poſteà. Fſto tamen ut Joſephus ſic tùm, cùm ſcriberet, ſenſerit: at mutatis temporibus, mutatam eſſe ejus ſententiam quid vetat? Deinde volunt Joſephum fuiſſe Phariſæum; quid igitur tantoperè a Phariſeorum doctrinâ & fide nunc receſſit; cùm libera & ſentiendi & ſcribendi data eſſet occaſio.

Ne quis autem miretur Joſephum has verſutias in ſe admiſiſſe, etſi jamdudum ſimilis verſutiæ exemplum in Teſtimonio de Johanne Baptiſta dederim, tertium quoque in hoc viro, licèt maximo, certiſſimum exhibebo: ut liquidò appareat ipſum ſæpiùs ſuam pro ratione temporis permutâſſe ſententiam. Cùm juvenis admodùm ac penè puer eſſet ad Eſſenos Banumque acceſſit, & eorum eſt inſtitutus diſciplinis: ſed ad rempublicam adminiſtrandam converſus, cùm videret Phariſæos apud plebem plurimùm pollere, his quoque tunc ſe adjunxit, idque non ſemel: nam & Româ reverſus antequam annum ageret ætatis trigeſimum, vitam atque mores Phariſæorum eſt ſecutus. Cùm eam ſolam atque efficaciſſimam diù ſtandi in republicâ adminiſtranda viam haberet comparatam. Quamobrem cum leve eſſet ac varium ejus conſilium, republicâ tandem everſâ ſtatim ad priſtinâs reverſus eſt opiniones. Nam cùm libros Archæologiæ ſcriberet,

Digitized by Google

ſcriberet, omnino Eſſenus erat. Ubique laudat Eſſenos, carpit verò Phariſæos. Nec non Urbe obſeſſâ, Eſſenorum opiniones affectaviſſe probat quod Lib. V. cap. 22. ſcripſit; quas hinc ſatis conſtat, tunc & pòſt illa retinuiſſe. Sordes enim aut cadavera ad ſolem expoſita, Dei vultus conſpurcare, Eſſenorum erat commentum. Eſſeni autem neque de Johanne Baptiſtâ, neque de Chriſto male ſentiebant; ideoque facilè ad eam ſectam tranſibant quæ pòſt ſub Gnoſticorum nomine innotuit. Et dogmata & nomina ipſa Eſſenorum Gnoſticorumque idem ferè deſignans id ſatis probant. Quod tamen pluribus verbis jam exponere non eſt meum, neque multum ſanè expedit. Denique Joſephus neque de Johanne Baptiſtâ, neque de Jacobo Juſto fratre Domini Jeſu Chriſti male ſentit, cujus mortem a primoribus Judæorum injuſtè procuratam aſſerit. Fruſtra itaque ſunt qui male de Jeſu Chriſto vel ſenſiſſe vel etiam locutum fuiſſe contendunt.

XXVI. ΕἸΣ ΤΕ ΝΥ͂Ν. Hæc locutio variis modis effertur, qui omnes ad idem ferè recidunt. Quidam legunt εἰς ἔτι νῦν. MS. Cæſar. cum multis aliis εἰς ἔτι τε νῦν. Sic ipſe Joſephus alibi de uxore Loti in ſtatuam converſâ loquitur, inquit enim Lib. I. cap. 22. * ἔτι γὰρ καὶ νῦν διαμένει. Et Libr. X. cap. ulti-

* Pag. 20. G.

mo de Daniele, † ἀναγινώσκεται παρ' ἡμῖν ἔτι καὶ νῦν, καὶ πεπιστεύκαμεν ἐξ αὐτῶν, ὅτι Δανιῆλος ὡμίλει τῷ θεῷ. Hunc ego hîc produxi locum quem aliàs producere potuiſſem, ut duos ſimul unâ fideliâ dealbarem parietes; tum ut exemplo huic locutioni inſerviret, tum etiam ut notum facerem, quam bene de Daniele cogitaret; quia Danielis non vagas ut cæteri ferè vates res prædixiſſet, ſed etiam tempus annoſque numerâſſet.

XXVII. ΤΩΝ ΧΡΙϹΤΙΑΝΩΝ. Sæpe miratus ſum, qui factum eſſet, ut Joſephus quî toties de Sectis Judæorum diſſerit, nunquam Chriſtianos tanquam Sectam deſcripſerit. An quia non Judæos fuiſſe exiſtimavit, quoniam etiam Ethnicos Chriſtianum dogma fuiſſent amplexi? Sanè illos non alibi præterquam hîc nominavit; opportuno quidem loco, ſed admodum modeſtè. Nihil etiam quod non ſit verum affirmat. Sed neque quemquam eorum edocet dogmata, vel etiam laudat inſtitutum. Hæc verò digreſſio ita eſt confecta ut magis ad hiſtoriæ ſeriem atque veritatem, quam ad religionem Chriſtianam docendum comparata videatur. Iſtæc tamen dixit eorum gratiâ quos ipſe ſibi amicos conciliaverat dogmati Chriſtianorum faventes, quales fuerunt ille Flavius Clemens, quem poſteâ Conſulem

† Pag. 354. A.

Digitized by Google

Conſulem deſignatum Domitianus interfecit, & Flavia Domitilla; & fortaſſe ipſe Epaphroditus, qui fuit auctor Joſepho ut Archæologiam ederet. Aut igitur oportet ut pleniùs à Chriſtianis non edoceretur, qui ne tunc quidem quoſlibet facile ſuorum dogmatum participabant, aut ſi quos participabant, ſtatim etiam ſinebant illâ, quorum facti fuiſſent participes, effutire. Archæologia verò eo fine eſt conſcripta ut ab Ethnicis etiam legeretur.

XXVIII. 'ΑΠΟ' ΤΟΥ͂ ΔΕ 'ΩΝΟΜΑϹΜΕ'ΝΩΝ. Hic modus dicendi omnino genuinus eſt. Sic enim alibi loquitur, ut Lib. I. de Bello Jud. cap. 4. * *καθάπερ ἀπό τε τοῦ σεβαστοῦ καὶ ἀγρίππα, σεβαστὴ καὶ ἀγριππίας πόλεις ἕτεραι μετωνομάσθησαν.* Iterumque Lib. VI. cap. 13. † *καὶ τρισὶ τοῖς ἡδίστοις προσώποις ἀφ᾽ ὧν ὠνόμαζε τοὺς πύργους.* Nec diſſimile quod ſequitur mox, *ἀπὸ τοῦ φίλου προσαγορευθείς.* Denique Lib. I. contra Appionem, || *τὸν δὲ υἱὸν σέθων τὸν καὶ ῥαμέσσην ἀπὸ ῥαψήσου τοῦ πατρὸς ὠνομασμένον, πενταέτη ὄντα, ἐξέθετο πρὸς τὸν ἑαυτοῦ φίλον.* Satis hæc ſonum orationis & modum oſtendunt.

XXIX. 'ΟΥΚ 'ΕΠΕ'ΛΙΠΕ ΤΟ' ΦΥ͂ΛΟΝ. Satis erit pro noſtro inſtituto tres aut quatuor hujuſmodi vocum inſtantias proferre quæ paſſim ferè aliàs occurrunt. Nam quod ad verbum

* Pag. 717. E. † Pag. 914. D. || Pag. 1053. D.

ἀπέλιπεν attinet, inter alia etiam reperitur Lib. II. cap. 5. * δεδιὼς ὑπὲρ τοῦ παντὸς ἔθνους μὴ σπάνει τῆς ἐπιτρεφησομένης νεότητος ἐπιλείπῃ. Quo loco de Hebræis in Ægypto verba facit. Res cùm ſit eadem iiſdem quoque verbis effertur. Alibi de Eliâ Theſbonæo cum viduâ muliere colloquente, ſic infit Flavius, Lib. VIII. cap. 7. † περλέσω γὰρ σοι μηδέποτε ἐπιλείψειν ἀλεύρων ἐκεῖνο τὸ ἄγγος. Et mox οὐκ ἐπέλειπε δ' οὐδὲν αὐτοὺς τούτων. Atque hæc ſufficiant de iſtac voce ; nam ad ultimam eſt tandem aliquando tranſeundum.

XXX. ΤΟ' ΦΥ'ΛΟΝ. Sæpiſſimè hanc vocem fuiſſe uſurpatam a Joſepho non eſt neceſſe ut moneamus. In ſolâ Agrippæ Regis ad Judæos oratione, quæ Lib. II. de Bello Judaico cap. 28. extat, quater & ampliùs adhibetur. Atque Lib. III. cap. 24. ipſe Flavius in precatione ad Deum, gentem ſuam vocat ἰουδαῖον φῦλον. Quanquàm verò ſic legant Codices omnes, aliquid tamen amplius legiſſe videntur interpretes, Ruffinus quidem Euſebii, atque ille ignotus ac priſcus Archæologiæ, nam uterque vertit *& nomen perſeverat & genus*, quaſi apud Joſephum legiſſent οὐκ ἐπέλιπε τὸ ὄνομα καὶ τὸ φῦλον. Niſi dicamus eos ſic hujus vocis τὸ φῦλον ſenſum efferre voluiſſe. Quin etiam Tan. Faber poſuit hîc γένος, non τὸ φῦ-

* Pag. 55. B. † Pag. 286. A.

λον,

λον, cùm hanc periocham deſcriberet. Quod unde accerſiverit prorſus neſcio, γένος autem quomodo de Chriſtianis dici poſſit, neſcio, qui ut verbis utar Tertulliani, *fiunt non naſcuntur?* Verum enim ne ſic quidem male. Nam γένος pro ſectâ uſurpare omnino rectum eſt & Joſepho proprium, qui ſectam Sadducæorum Lib. XIII. cap. 18. vocat τό σαδδουκαίων γένος· & quod magis etiamnum ad rem facit, ſectam ipſam Eſſenorum, quorum plerique neque uxores ducebant, neque liberis operam dabant, capite ſequenti γένος quoque appellat, ait enim μάλιστα δ' ἄν τις θαυμάσειε καὶ ἰδὼν τινὰ ἐσσηνὸν μὲν τὸ γένος, οὐδέποτε δὲ ἐν οἷς περιεῖπε διαψευσάμενον τἀληθές. Sic etiam ventriloquos Lib. VII. cap. 15. quos Saulus conſuluit nuncupat, τὸ τῶν ἐγγαστριμύθων γένος ἀνάγον τῶν νεκρῶν ψυχάς. Itaque nec in minimis vocibus quicquam a Joſephi conſuetudine vel ſtylo eſt receſſum. Eant nunc quibus diſplicet hujus periochæ ſtylus: quique tam inſolenter ſe jactant, eoſque qui ſecum ſentire nequeunt irrident.

Quemadmodum verò fuerunt qui vel primas hujus periochæ voces, quaſi inſuaves culparent, ſtultéque repetitas; ita neque huic ultimæ voculæ parcitum eſt. Aiunt enim Chriſtianos ex Ethnicis atque Judæis collectos promiſcuè, quo ſcripſit tempore Joſephus, φῦλον dici nequaquam potuiſſe. Eum profectò oportet eſſe valdè moroſum qui nodum in hoc

Digitized by Google

ſcirpo quærat. Nam quid aliud nomen his daret jam collectis ac mutuò ſe fratrum nomine appellantibus, niſi illud quo unam quaſi gentem eſſe ex Judæis cum Ethnicis permixtam ſignificaret? Vel novum itaque hic nomen erat reperiendum, quod utique magis iſti culpandum cenſerent: vel ſaltèm iis erat utendum quæ ad manum jam eſſent, quibuſque jam ſatis ſine cenſurâ in ſimili negotio eſſet uſus. Fortaſſe verò Blondellus, cujus eſt iſta cenſura, in hâc enim neminem habet adjutorem, credidit non poſſe dici vocem φῦλον, niſi de illis qui cognatione ſimul juncti eſſent, vel collecti, reſpiciens ſcilicet, ad primam vocis originem. Sed hoc quidem non ſolum eſt præter morem Atticorum, penes quos optimè græcè vel loquendi, vel ſcribendi ratio fuit ac norma, ſed etiam aliorum, adeoque ipſius Joſephi, qui non ſemper ſolent ad vocis hujus originem reſpicere. Athenienſes enim φυλὰς ſuas vocabant quaſdam populi Attici partes, non quidem cognationis, ſed ſolâ domicilii vel fundi ratione conjunctas. Uti neque Heroes ἐπώνυμοι tribubus nomina dederant, quod ab illis originem ducerent tribules, ſed ſolâ id honoris cauſâ factum fuiſſe videtur, longè aliter ac apud Hebræos. Hinc igitur rectè alii quemlibet gentium hominumve concurſum, olim quidem diſperſorum, poſteà verâ quâcunque de cauſâ vel ducis ergò vel conſilii commu-

Digitized by Google

communione conjunctorum, nunquam vocare φῦλον verentur. Sic illam gentium plurimarum colluviem quæ Brenno duce Delphos ſpoliatum ducta, ibi magnam cladem eſt perpeſſa, Callimachus hymno quem in Delum cecinit, φῦλον vocat.

† Αἱ γαλάτῃσι κακὴν ὁδὸν ἄφρονι φύλῳ Στήσονται.

Hi autem cum ex omnibus Galliis eſſent collecti, ex gentibus ut minimum trecentis erant; tot enim narrat Plutarchus a Cæſare fuiſſe ſuperatas. Quin & noſter quoque Flavius cùm narraviſſet Archæologiæ Lib. XIII. cap. 17. Hyrcanum Idumæis ſuperatis, eos amplecti ritus Judaicos & cæremonias coegiſſe, ex quó primum Judæi atque Idumæi in unam gentem ſunt conflati, ambos poſteà populos, ubique ferè vel Judæos vel ἰουδαικὸν φῦλον nuncupat. Quidni igitur & illos, quos cum Judæis quibuſdam unam ſectam & quaſi gentem conſtituentes conſideravit, hoc ipſo nomine vocaret? Equidem αἵρεσιν vel philoſophiam Joſephus hos vocare potuiſſet, prout de reliquis Judæorum Sectis agens fecerat. Sed cum idem voce γένος de illis etiam uſus eſſet, quid etiam vetaret de Chriſtianis Semijudæis & tanquam

† Pag. 253. Ed. Ald.

 Judæo-

Judæorum novâ ſectâ ſpectatis vocem φῦλον adhibere? Siquidem iſthæc Chriſtianorum ſucceſſio ab ætate Jeſu Chriſti ad tempora Joſephi permanentium ſatis fuit ut dici φῦλον optimo jure mereantur.

Quæ cùm ita ſint, tantum abeſt ut credam totam hanc periocham quæ teſtimonium exhibet de Chriſto, Joſepho abjudicari debere, ut potiùs jam ſit planum nullius eam niſi ejus eſſe. Quam vanum itaque eſt eorum judici qui Euſebio dicam ſuppoſitionis impingunt. Etenim ſi hoc ſit verum, oſtendant noſtra methodo ac de ſtylo judicandi ratione totam ῥῆσιν ſtylo Euſebii eſſe ſimilem. Hoc ſi fecerint, tùm ego quoque in eorum tranſibo ſententiam. Quod ſi tamen id nequeant facere, velut ego pro certo aſſeverare auſim, meam ſaltem probent admittantque rationem; quam ſi nolint admittere, ſciant quidem ad id certamen ſe provocatos, aut laborem detractâſſe aut inutilem fore exiſtimâſſe. Quo ut onere leventur, aſſero me deprehendiſſe ſtylum Euſebii prorſus eſſe Teſtimonii Flaviani diſſimilem, atque in totâ hâc periochâ vix ineſſe unam phraſin quæ ſonum orationis Euſebio familiaris repræſentet. Mirum autem eſſet, ſi ne unam quidem impoſtor ille ſui notam in Teſtimonio, monumentumque reliquiſſet. Neceſſe eſt itaque ut quos dolos eſſe ſuſpicantur, optimè etiam conſutos eſſe fateantur. Illos etiam qui

Digitized by Google

qui ſecus ſentiant ac nos, horum præcipue ignari quæ ad Stylum Joſephi pertineant, oportet ſe præcipiti abreptos judicio confiteri. Nam ſicut illi admodum ſunt temerarii, qui de Stylo ſcriptorum definire non ambigunt, cum nulla eorum ſuperſint ſcripta quibus comparentur, præterquam ipſa de quibus lis eſt; quales ſunt verbi gratia qui de Stylo Epiſtolarum Clementis, Barnabæ vel Ignatii decernunt, quorum præter iſta quæ in quæſtione ſunt, nullum aliud ſcriptum poſſit recuperari: ita eos multo magis temerarios eſſe quis non videt, qui ea ſcripta quaſi ſuppoſititia redarguunt, extantibus eorundem ſcriptorum indubiis monumentis, quæ in cæteris ſuſpicari nullam fraudem impoſturamve patiantur. Qualem in hoc Joſephi Teſtimonio nullam ineſſe demonſtravi, cum reliquis ejus ſcriptis nunquam ſuſpectæ fidei comparando.

Cæterùm non adeo facile iſtiuſmodi nectuntur doli. Hinc fit ut Tanaq. Fabri rationem ſatis mirari nequeam; qui cum extent genuina auctoris verba de quorum Stylo ipſe tam male judicavit, auſus eſt tamen dolum comminiſci quem huic præferre periochæ non erubuit. Videamus & nos an hæc Fabri impoſtura ſtare poſſit, vel an ſit noſtro Teſtimonio præferenda? Primùm enim multis utitur dicendi formulis quæ Joſephi ſtylum non ſapiunt, ut eſt hæc inter alias, τοῖς ἐσχάτοις ἐζημίωσεν.

Digitized by Google

ων. Nuſquam quantum memini in ſcriptis Flavii extat hic loquendi modus: legimus quidem Lib. XV. cap. 2. † μέλλοντα θανάτῳ ζημιοῦσθαι, & occurrit quandoque τὸ, ἐν ἐσχάτοις ut vitæ terminum deſignet, ſed ut ſic pœna, nunquam. Tum vero quale eſt iſtud quod ſequitur, ὅτινος ἀνδρὸς οὐδὲν οὐδεπώποτε εἶδεν ὁ βίος πλείονος ἄξιον? De phraſi ac locutione nihil dicam, hoc tantum volo; plenum fuiſſe Terentii, vel Luciani, aut utriuſque Tan. Fabrum cum hæc ſcriberet; ſic enim loquitur Phormio Terentianus, *At quem virum! quem ego viderim in vitâ optimum.* Hæc duo a ſe invicem non adeo differunt, quin illud ab hoc oriundum eſſe exiſtimem. Oſtendant in ſcriptis Joſephi ſimile quid vel ſecundum verbis iſtis, εἶδεν ὁ βίος. Nequeo hîc ſuſtinere quin obſervem, hanc vocem, hoc quidem ſenſu, è Luciani Peregrino hauſiſſe Fabrum. Fidem dictis facient tum verba Luciani, tum Fabri annotatio ad ea, τὸν μέγαν γοῦν ἐκεῖνον ἔτι σέβουσιν ἄνθρωπον, τὸν ἐν τῇ παλαιστίνῃ ἀνασκολοπισθέντα, ὅτι καινὴν ταύτην τελετὴν εἰσήγαγεν εἰς τὸν βίον. Nota Fabri non tam Lucianum reſpicit, quam Teſtimonium Flavianum, quod tunc primùm hîc in dubiam ſuâ animadverſione revocavit. Si tam ſedulò Joſephum legiſſet Faber, ac Lucianum, & hujuſmodi re-

† Pag. 511.

ligionis

ligionis hoſtes, non tam malè de Stylo judicâſſet. Conſtat igitur eum hoc loco, non tam de Luciani verbis illuſtrandis, quam de Teſtimonio Flaviano damnando cogitâſſe. Dum enim ubique fraudes Chriſtianorum ſuſpicatur, non vidit hunc Luciani locum haud adeo eſſe corruptum aut detruncatum, quin leviuſculâ mutatione poſſit corrigi. Etenim ſi τὸν μέγαν, mutes in τὸν μάγον, non ſolùm Luciani verba ab omni fraude liberabis, ſed & ſimul Suidæ verbis ſatis facies; qui dixit, Lucianum βλασφημεῖν τὸν Χριστὸν ἐν τῷ τοῦ Περεγρίνου βίῳ. Magis autem, ut mea fert ſententia, Luciano convenit quando Chriſtum fertur τὸν μάγον ἄνθρωπον vocare, quam cum μέγαν. Hoc enim laudis eſt, illud verò vituperii atque blaſphemiæ.

Pergamus porrò contra Fabri impoſturam, atque inſtitutum ordinem perſequamur. Pilatum dixit Faber ἐπιτροπεύοντα; agnoſco Pilatum vocari ἐπίτροπον in Libris de Bello Judaico, ſed in Archæologia cujus conſuetudinem ſervare debuiſſet Faber, ſemper vocatur ἡγεμών, ut ab ipſis etiam Evangeliſtis. Deinde inquit, ὅτι ἀπεχθήσονται τοῖς ὑπ' ἐμοῦ γραφομένοις οἱ δημόται, μάλιστα δὲ πάντων οἱ Φαρισαῖοι, ὧν εἷς κἀγὼ τυγχάνω ὤν. Quaſi Joſephus ſibi metuiſſet a popularibus, præcipue verò a Phariſæis. Iſtud ſane eſt perjucundum. Multas ille quidem popularium ſtante republica evitavit inſidias: At

quis

Digitized by Google

quis tandem metus popularium jam penitùs fractorum eſſe potuiſſet? Joſepho, inquam tum cum ſcriberet, Romanorum Imperatorum gratiâ freto. Multo minùs Phariſæorum, quorum ſecta, ut in republica plurimum pollebat, ſic etiam ſimul cum urbe penitùs interciderat. Certè credo neminem auctorem ſcripſiſſe poſt everſam urbem harum ſectarum veſtigia ſupereſſe. Sunt qui ex iſtis Juſtini Martyris verbis elicere conantur eos hujus tempore etiamnum ſupereſſe, * μηδὲ φαρισάιοις πειθόμενοι διδασκάλοις, τὸν βασιλέα τοῦ ἰσραὴλ ἐπισκώψητέ ποτε, ὁποῖα διδάσκουσιν οἱ ἀρχισυνάγωγοι ὑμῶν μετὰ τὴν προσευχήν. Sed fruſtrà; hæc enim potius contrarium declarant. Eſſeni denique in Sampſitas degeneraverunt, vel Ebionitis, utrique autem erant Gnoſtici, adjuncti ſunt, ut Epiphanius teſtatur. Lepidum quoque eſt, Flavium Joſephum producere ſectam adhuc Phariſaicam profitentem. Tantum enim abeſt, ut tunc eſſet Phariſæus, cum Archæologiam ſcriberet, ut ferè nunquam de Phariſæis loquatur, quin ſimul carpat. Fatetur in Libro de vitâ ſuâ ſe Phariſæos aliquamdiù ſecutum fuiſſe; ſed ſimulato id feciſſe ſtudio ſatis etiam innuit, quia ſine Phariſæorum gratiâ non pateret via ad honores in republicâ Judaicâ.

---

* Dial. cum Tryph. p. 287.

De-

Denique de Stylo multa crepuit Tan. Faber, cum de Teſtimonio iſto verba faceret, quod in honorem Chriſti Flavius ſcripſerat; vellem ut ille in ſua impoſtura convaſanda ſe ad ſtylum Joſephi melius imitandum appuliſſet: nihil enim interſperſit quod Stylum Joſephi in oratione redoleret. In noſtrâ certè periochâ, cujus ipſe Stylum, aliique poſt illum, tantopere redarguunt, nihil admiſſum eſt, quod non in aliis quoque Joſephi ſcriptis, quo propiùs ad periocham accedant eo ſimul etiam aptius atque ſimilius reperiatur. Cujus veritatis demonſtrationem, licèt non ingenio & acumine, labore tamen aliquo non uſquequaque pænitendo mihi videor conſecutus.

FINIS.

Digitized by Google

BOOKS *printed for* RICHARD SARE *at* Grays-Inn-Gate *in* Holborn.

THE Works of *F. Joſephus* tranſlated into Engliſh. Folio.
Fables of *Æſop* and other eminent Mythologiſts. Folio. The fourth Edition.

Fables and Stories moralized; being a 2d Part of the Fables of *Æſop*, &c. Folio.

The Viſions of *Dom Franciſco de Quevedo*, &c. The 9th Edit. 8vo.

Twenty two ſelect Colloquies out of *Eraſmus Roterodamus*; pleaſantly repreſenting ſeveral ſuperſtitious Levities that were crept into the Church of *Rome* in his Days. 8vo.

These Five by Sir *Roger L'Eſtrange*.

The State of the Church and Clergy of *England*, in their Councils, Synods, Convocations, Conventions, and other publick Aſſemblies, hiſtorically deduced from the Converſion of the *Saxons* to the preſent Times, with a large Appendix, *&c.* Folio.

The Authority of Chriſtian Princes over their Eccleſiaſtical Synods, aſſerted, *&c.* 8vo.

An Appeal to all the true Members of the Church of *England*, in behalf of the King's Supremacy, *&c.* 8vo.

The genuine Epiſtles of the Apoſtolical Fathers, St. *Barnabas*, St. *Ignatius*, St. *Clement*, St. *Polycarp*, &c. Tranſlated into Engl. 8vo.

A practical Diſcourſe concerning prophane Swearing, eſpecially in the two great Points of Perjury and Common Swearing. 8vo.

The Principles of the Chriſtian Religion explain'd, in a brief Commentary upon the Church Catechiſm. 8vo.

The Church of *Rome* no Guide in Matters of Faith, *&c.* 8vo.

Several Sermons upon ſpecial Occaſions.

Theſe publiſh'd by the Right Reverend Dr. *Wake*, Lord Biſhop of *Lincoln*.

Epictetus's Morals, with *Simplicius*'s Comment, made Engliſh from the Greek. 8vo.

Thomas à Kempis's Chriſtian Pattern, or a Treatiſe of the Imitation of *Jeſus Chriſt*. Tranſlated into Engliſh. To which is added, Meditations and Prayers for ſick Perſons. Both in 8vo. and 12ves.

Parſons's Chriſtian Directory, being a Treatiſe of holy Reſolution. in Two Parts, put into modern Engliſh. The ſecond Edition. 8vo.

Newly

Digitized by Google

Newly publiſh'd, The Firſt, Second, and Third Volumes of a Paraphraſe and Comment upon the Epiſtles and Goſpels, appointed to be uſed in the Church of *England* on all Sundays and Holy-Days throughout the Year. 8vo.

Several Sermons upon ſpecial Occaſions.

Theſe by the Reverend Dr. *Stanhope*, Dean of *Caterbury*.

Several Letters which paſs'd between Dr. *George Hickes* and a Popiſh Prieſt, upon Occaſion of a young Gentlewoman's departing from the Church of *England* to that of *Rome*, &c. 8vo.

Eſſays upon ſeveral moral Subjects. In two Parts. 8vo.

A ſhort View of the Profaneneſs and Immorallity of the Engliſh Stage, with the Senſe of Antiquity upon that Argument. 8vo.

A Defence of the ſhort View of the Profaneneſs und Immorality of the Engliſh Stage, *&c.* being a Reply to Mr. *Congreve's* Amendments, *&c.* and to the Vindication of the Author of the Relapſe. 8vo.

A ſecond Defence of the ſhort View of the Profaneſs and Immorality of the Engliſh Stage, *&c.* Being a Reply to a Book, entituled *The Ancient and Modern Stages ſurvey'd.* &c.

A Diſſuaſive from the Play-houſe; in a Letter to a Perſon of Quality. Occaſion'd by the late Calamity of the Tempeſt, *&c.*

The Emperor *Marcus Antoninus* his Converſation with himſelf. Together with the Preliminary Diſcourſe of the Learned *Gataker*. As alſo, the Life of the ſaid Emperor, and the Mythological Picture of *Cebes* the *Theban*, &c. 8vo.

Theſe by the Reverend Mr. *Collier*.

Maxims and Reflections upon Plays written in *French* by the Biſhop of *Meaux*, and tranſlated into Engliſh, with an Advertiſement concerning the Author and Tranſlator. By Mr. *Collier*.

The Eſſay towards a Propoſal for Catholick Communion, *&c.* Anſwer'd; whereby it appears, that the Author's Method of reconciling the Church of *England* to that of *Rome*, is fallacious, and his Deſign impracticable. By *N. Spinkes*, a Presbyter of the Church of *England*. 8vo.

A New Inſtitute of the Imperial or Civil Law, with Notes, ſhewing in ſome principal Caſes, amongſt other Obſervations, how the Cannon Law, the Laws of *England*, and the Laws and Cuſtoms of other Nations differ from it. In Four Books. 8vo.

A Treatiſe of the firſt Principles of Laws in General, of their Nature and Deſign, and of the Interpretation of them. Tranſlated out of French. Being a proper Introduction to the *New Inſtitute of the Imperial or Civil Law, with Notes*, &c. 8vo.

Sixteen Sermons preach'd upon ſeveral Occaſions. By Dr. *Edw. Lake*. 8vo.

The

Digitized by Google

The Chriſtian Caſuiſt, wherein are reſolv'd Divers Caſes of Conſcience. 8vo. Tranſlated into Engliſh.

Thoughts on Religion and other Subjects. By Monſieur *Paſcal*. Tranſlated into Engliſh.

B^p. *Godeau*'s Paſtoral Inſtructions. Tranſlate into Engliſh. 8vo.

Puſendorf's Law of Nature and Nations. Tranſlated into Engliſh. Folio.

These Four by Mr. *Baſil Kennet*, Fellow of *Corpus Chriſti* College in *Oxford*.

The Devout Chriſtian's Manual of Prayers and Devotions for all Occaſions, *&c.* Superviſed and recommended by the Reverend Mr. *Wagſtaffe*, in 12ves.

A Gentleman's Religion in Three Parts.

An Anſwer to all the Excuſes and Pretences which Men uſually make for not coming to the Holy Communion. Price 3*d.* or 20*s.* *per* Hundred.

Plain Inſtructions for the young and Ignorant. Price 3*d.* or 20*s.* *per* Hundred.

An Eſſay towards making the knowledge of Religion eaſie to the meaneſt Capacity. Price 2*d.* or 12*s.* *per* Hundred.

Plain Directions for ſpending one Day well. Price 1*d.* or 6*s.* *per* Hundred.

These Five laſt by the ſame Author.

The Chriſtian Schollar. Price 3*d.* or 20*s.* *per* Hundred.

The Nature and Deſign of Holy-Days explain'd. Price 6*d.* or 40*s.* *per* Hundred.

The Turkiſh Spy, in eight Volumes. 12ves.

Sir. *Symon Deggs*'s Parſon's Councellor. 8vo.

Wentworth's Office of Executors, with a large Appendix. 8vo.

Billinghurſt's *Arcana Clericalia.* The 2d Edition. 8vo.

The Law concerning Eſtates Tail. 8vo.

Boyer's French Dictionary in 4to. and 8vo.

——Grammar, French and Engliſh. 8vo.

Hooker's Laws of Eccleſiaſtical Polity, newly printed.

St. *Cyril* of *Jeruſalem*'s Works in Greek and Latin. Folio, Lately printed at *Oxford*.

Langbain's Ethicks. 12ves.

Humane Prudence. 12ves.

Tryal of Wits in 8vo. Tranſlated out of Spaniſh.

Mackenzie's Eſſay concerning Reaſon, in 12ves.

Gregory's Sermons. 8vo.

——Diſcourſe on Divine Providence. 8vo.

The END.

BIBLIOT. ACADEM. LAUSAN
LIBERTE ET PATRIE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google